



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Tractatus VI. de Distinctione rationis perfectionum diuinarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

& iustitia creata, essent idem realiter, quod est falsum, si vero conueniret distinctio, etiam sapientia, & iustitia diuina distinguerentur realiter, quod est erroneum. sicut autem non est necessarium, ut distinctio, aut identitas realis determinate illis conueniat, sed indeterminate per inferiora, similiter non est opus, ut determinate conueniat identitas, vel distinctio ex natura rei formalis. Ad secundam negandum est antecedens: nam, si consideretur propria, ac specifica differentia, qua sapientia creata constituitur, ab ea habet ut distinguatur ex natura rei à iustitia, & ceteris perfectionibus simpliciter.

X. Quartum argumentum dupliciter solui potest cum Capreolo art. citato ad 15. vel negando maiorem propositionem, quoniam, ut ex Patribus vidimus, singula perfectiones non sunt magis eadem sibi, quam alijs: & ita inter eas non est comparatio penes magis, & minus in ratione identitatis, scilicet ex natura rei: quo sensu assumitur propositio ab Scotistis. Quod si propositio non determinetur ad identitatem ex natura rei, tunc potest aliter solui, negando assumptionem: nam sapientia nec à parte rei actu, nec virtute, aut ratione distinguitur à se ipsa: ab alijs vero attributis, si non ex natura rei actu, virtute tamen, ac ratione distinguitur: & sic comparatione aliorum caret identitate opposita distinctioni virtuali, qua non caret respectu sui.

XI. Vltimum argumentum prouenire videtur ex eo, quod Bassolis, qui eo utitur, & alij, non percipiunt modum, quo in sententia, quam tueor, perfectiones diuinae dicuntur distingui virtualiter: videtur autem ita hoc accipere, quasi dicatur, eas non esse formaliter, sed solum virtualiter in Deo: ideoque crebro hoc impugnat, quasi asseratur ab auctoribus, quos sequor. Immerito tamen: nam iidem sapienter docent perfectiones esse formaliter in Deo. Verum aliud est perfectiones esse formaliter in subiecto, aliud, distingui formaliter: ite aliud, distingui virtualiter, aliud, esse virtualiter. etenim possunt esse formaliter, quin distinguantur formaliter, & distingui virtualiter, quin sint virtualiter. Quae duo patent iisdem exemplis, quibus sum frequenter usus: Etenim ratio practici, & speculatiui verè, proprie, ac formaliter conuenit intellectui nostro, ut per se patet, alioquin non possent disponi per habitus naturales ad actus speculatiuos, & practicos. habitus. n. naturales non disponunt potètijs, nisi ad actus, quos alioquin absque habitibus possunt elicere: ratio vero speculatiui in potentia non est aliud, quam vis speculandi, sicut ratio practici est

vis eliciendi actus directiuos praxeon: & tamen eadem rationes distinguuntur virtute solum ob eminentiam potentiae intellectivae, extendètis se ad actus, ad quos requiruntur habitus actu distincti: Eadem ratione sapientia, iustitia, ceteraeque perfectiones diuinae sunt formaliter in Deo, & nihilominus ob eminentiam perfectionis infinitae diuinae essentiae, non distinguuntur actu formaliter, sed virtute. Hoc posito, respondeo maiorem propositionem, quatenus ait perfectiones attributales non minus formaliter esse in Deo, quam relationes personales, concedendam: & hoc solum probat argumentum: quatenus vero ait non esse minus distinctas formaliter, negandam: quoniam, relationes ob oppositionem inducunt distinctionem realem: etsi argumentum valeret, haec danda esset in perfectionibus absolutis, quod est absurdum, ut iidemmet Scotistae concedunt: perfectiones vero absolutae nullam habent omnino oppositionem, quo minus sicut in eadem realitate, ita etiam conueniant in eadem prorsus formalitate ex natura rei. Nec huius oppositum suadet argumentum.

TRACTATUS SEXTVS, DE DISTINCTIO- NE PERFECTIONVM DIVINARVM.

Magnus Dionysius cap. 9. de diuinis nominibus, cum de identitate Deitatis egisset, egit etiam de eiusdem alteritate, non quidem personali, cuius eo loco non meminit. dixerat autem cap. 2. sed de essentiali: quam solum eo loco explicauit ratione diuersarum emanationum perfectionum diuinarum ad creaturas. Ipse quoque post tractatum de omnimoda identitate perfectionis diuinae absolutae, ordior hunc de eiusdem alteritate, siue distinctione, ut utar vocabulo magis usurpato inter Theologos. Ea vero, si comparetur Deus cum rebus creatis, est maxima: differt enim ab ijs plusquam genere, neque cum eis admittit ullam identitatem realem, aut formalem secundum indiuiduam identitatem: non respuit tamè analogicam conuenientiam in ratione entis, & aliarum perfectionum simpliciter sibi cum creaturis communium: ratione cuius idem Dionysius ubi supra creaturas Deo similes, ac dissimiles dicit: similes quidem, quia *eo virib⁹ ei participant, qui non potest participari: dissimiles autem, quia causalia auctore suum multum inferiora sunt, & infinitis, & non comparandis mensuris ab eo longe absunt.* Quia vero haec distinctio Dei

Magn. Dion.

à creaturis peripicua est, nihil amplius de illa dicendum, sed de distinctione perfectionum Dei absolutarum: nam de ea, quæ inter personas, relationesque diuinas intercedit, in materia de Trinitate est proprius agendi locus. Cum autem tractatu proximo omnem distinctionem ex natura rei actualement reiecerim à perfectionibus diuinis absolutis, si quæ alia ipsis conuenit, non nisi secundum rationem erit: ideo in primis dicam utrum, quid, & quæplex sit distinctio rationis: quæ de re plerique Theologi dissentiunt, ut deinde statuam, utrumne, & qualis intersit inter perfectiones diuinas.

Præter distinctionem ex natura rei
datur distinctio
rationis.

CAPVT I.

I.

TAmetsi quæstio an est, supponatur in scientijs, tamen quia non desunt, qui negent dari ullam distinctionem rationis, statuendum in primis est, utrum detur. Partem negatiuam in rigore veram censent Ocham. in 1. d. 2. quæst. 3. Gabriel. quæst. 3. Mayron. d. 8. quæst. 4. Andr. de Nouo Castro dist. 32. quæst. 2. Gregor. d. 8. quæst. 2. art. 1. Petrus de Alliaco, quæst. 6. art. 2. lit. I. & L. conclusionem 1. & Maior. d. 8. q. 4. aliàs 4. conclusionem 2. Aiunt enim res non distinguui villo modo per operationem intellectus, sed solum à parte rei. Id vero probant multis argumentis, quæ ad tria reduci possunt. Primum est, quoniam sequitur dari cōtradiçtoria simul vera, quod est impossibile: probatur consequentia, quoniam, ubi nulla est omnino diuersitas, aut distinctio in re, erit omnimoda identitas: hæc autem consistit in indiuisione, qua res est ipsa, & non ipsa: ergo quocunque nomine, vel conceptu significetur eadem omnino res, verè potest de se enunciari. Contra verò, si est distinctio rationis, potest verè negari: distinctio enim consistit in diuisione, quæ negatione explicatur, & ita, si coniungantur duo conceptus eiusdem rei indiuisa prorsus in se, ratione tamen distincta, affirmatio erit falsa, vera negatio: confirmatur primo, quoniam aut eiusmodi rationes sunt omnino idem cum re, cuius sunt rationes, aut ab ea distinguuntur: si sunt omnino idem, non facient distinctionem: quod enim indistinctum est, ratio distinctionis esse nequit: si vero distinguuntur, iam

res sub vna habet aliquid, quod non sub alia, & ita re ipsa, & non sola ratione distinguitur: patet consequentia, quia ratio distinguens vnum extremum ab altero, non est communis vtrique, sed alteri tantum propria: secundum communia enim non est distinctio, sed identitas. Confirmatur secundo argumento Gregor. quoniam posita distinctione rationis eiusdem rei à se ipsa ratio esset eius, & non esset: quod repugnat. Id vero sequi ostenditur, quoniam ratio distinctionis est propria rei, quæ distinguitur, & non communis cum ea, à qua distinguitur: ergo, si distinguitur ratione à se ipsa, ea ratio erit eius, quia per eam distinguitur: & non erit eius, quia est id, à quo per eam distinguitur. Secundum; distinctio rationis aut sumitur ex diuersis rationibus præciso actu, intellectu repertis in extremis ratione distinctis, aut per solam intellectus operationem resultantibus: si primum, est distinctio ex natura rei, & non per solam rationem, ut patet: secundum non est verum, quia non variatur identitas, aut distinctio, nisi variato fundamento, vel termino: ante operationem vero intellectus, ut supponitur res est omni modo eadem, atque indistincta: per ipsam vero operationem non mutatur terminus, aut fundamentum distinctionis: ergo non potest aduenire noua rationis distinctio. Posterior pars assumptionis ostenditur: nam ex præcisa operatione intentionali circa obiectum non fit vlla eius mutatio, nec dissoluitur ratio identitatis, si quæ in illo est: si quis respondeat hoc argumento solum concludi, rem non mutari realiter: at vero permanente eadem identitate reali aduenire nouum respectum, & ita obiectum non se habere vniuniformiter ad intellectum ante, & post eius actum. obicitur namque; si res suapte natura est omnino indiuisa in se, quemcunque actum terminat significata vno nomine, aut ratione, terminat significata etiam alio: non enim à parte rei habet, unde diuersimodè terminet conceptus terminatos ad eandem prorsus entitatem, & rationem obiectiuam: & confirmatur primo, quoniam per actiones intentionales sensuum non resultat distinctio obiecti: nam ex eo, quod res aliter, atque aliter videatur, aut audiat, non distinguitur à se ipsa. Secundo, quoniam per actiones reales circa ipsum subiectum non inducitur distinctio realis ipsius: ex eo enim quod aqua fiat rara, & calida, non distinguitur à se realiter: nam quauis qualitates ipsa distinguantur, itemque aggregata ex aqua,

Ocham.
Gabriel.
Mayron.
Nouo Castro.
Gregor.
Alliaco.
Maior.

aqua, & ijs, ipsa tamen aqua per se præcisa à qualitatibus non distinguitur à se: ergo neque per actiones intentionales inducitur distinctio rationis: confirmatur tertio, quoniam aut hæc distinctio est per rationem tanquam ab agente illam inducente, aut tanquam à formali distinctio: non priori modo, quoniam impossibile est, ut intellectus rem à se ipsa distinguat: potest quidem rem compositam distinguere in partes, nequaquam vero rem siue simplicem, siue compositam à se ipsa diuidere, ita ut tota sit, & id, quod distinguitur, & id, à quo distinguitur: non posteriore: namque hoc vel est formale principium distinctionis intrinsecum, quæ ratione homo per suam formam distinguitur à bruto, vel extrinsecum, quæ ratione diuersæ scientiæ distinguuntur inter se per obiecta: & utroque modo repugnat rem aliquam distingui ratione à se: primo quidem, quoniam ratio non est aliquid intrinsecum rei: secundo vero quoniam, quæ ita distinguuntur, necesse est distingui essentialiter, siue se ipsis primo, siue aliquo sui, ita ut non præcisè per extrinsecum distinguantur, ut videtur in Metaphysica, quæ distinguitur per ens abstractum à materia sensibili, & intelligibili: nec tamen per illud distinguitur à se, sed ab alia scientia, quæ est essentialiter ab ipsa distincta. Tertium, proprietates commensurantur subiectis, quæ connotant: atque aded distinctio realis est propria entium realium: distinctio vero rationis debet conuenire entibus rationis: ergo quemadmodum non est vllum ens rationis, quod à se ipso secundum rem distinguatur, ita ens reale non poterit à se ipso distingui ratione, vel secundum rationem.

II. Hæc & alia congerunt auctores citati, ut probent, non esse simpliciter dicendum attributa diuina distingui ratione. Verum, quia argumenta impugnant etiam distinctio:em rationis in commune, seorsim hoc examinandum putauimus, ut deinde cum ad attributorum distinctionem accedamus, non immeror communibus, sed ex proprijs rem expendamus. Porro dari distinctionem rationis expressè contrapositæ sententiæ assertores probat Rubionius in 1. d. 8. quæst. 4. art. 1. & Capreol. quæst. etiam 4. & docent omnes alij Theologi referendi cap. 6. num. 2. Ut autem vera sententia explicetur, obseruandum est, distingui ratione apud Aristotelem non eo modo, quo apud Theologos, usurpari: ille enim rationis nomine non intellexit præcisam opera-

tionem intellectus, sed rationem, siue definitionem obiectiuam; quam in antepredicamentis vocat rationem substantiæ, hoc est id, quo res essentialiter, & intrinsecè constituitur: ut constat ex lib. 7. Metaph. cap. 4. vbi appellat rationes quod quid erat esse dicentes, hoc est rationes essentielles intrinsecas quidditati rei; eiusmodi vero rationes interdum sunt à parte rei distinctæ, sicut ratio hominis, & ratio bruti, interdum vero non substantiæ obiecta distincta re ipsa, quemadmodum rationi finis, & rationi principij, sub quibus punctum concipitur, non respondent diuersæ entitates, sed vna simplex entitas puncti: & hoc secundo modo loquuntur Theologi. cum enim diuidunt distinctionem in realem, & rationis, nomen *ratio* usurpant pro ea, quæ consequitur ex pura operatione intellectus comparantis res inter se, vel vnā eandem sibi. Ex quo patet distingui ratione, non dicere ex eo, quod ipse sint rationes, seu conceptus distincti: nam obiecta ipsa, non vero conceptus consueuerunt dici ratione distingui, non item ex eo, quod in re sint rationes actu distinctæ: nam tunc esset distinctio ex natura rei, non solius rationis. Intelligi vero debet ita, ut à parte rei sit vna eademque entitas actu indistincta, supposita tamen multis rationibus mentalibus, sub quarum singulis sumpta differt à se ipsa accepta sub alijs.

Inducuntur autem ad hanc sententiam confirmandam nonnulla dicta Philosophi, quibus non vtor, quoniam videntur exponi posse de rationibus formalibus obiectiuis, ante omnem actum intellectus, quale est illud ex 1. Phys. t. 60. & 68. priuationem à materia distingui ratione, itemque ex 4. Metaph. t. 3. vbi dicitur, *ens, & vnum sunt vna natura; sed non vt vna ratione ostensa*: quæ verbis solum indicatur materiam, & priuationem, ens, & vnum non esse naturas diuersas in re, habere tamen diuersas rationes: quia ratio entis est positua, & consistit in ipso esse, ratio autem vnus est negatiua: & si vtrique diffiniatur, diuersimode definitur: ex quo non sequitur distinctio rationis, hoc est per solam operationem intellectus: nam absque illa ratio negationis est distincta à natura entitatis, similiter exponi potest id, quod lib. 10. text. 2. dicitur de igne, & elemento: nam ignis natura dicitur elementum, quod nomen tribuitur ipsi, quoniam ex eo tanquam ex primo inexistente aliquid fit; qui locus etsi nonnihil conferat, non tamen omninò cogit: ex eo enim

solum

Rubionius.
Capreol.
Aristot.

III.
Aristot.

S. Thom.
Caietan.

solum habetur non esse duplicem naturam alteram ignis, alteram elementi: non tamen habetur ignem, & elementum esse idem prorsus ex natura rei, & sola ratione distingui: nam solum dicitur ignem quodammodo esse elementum, quodammodo non esse, & subditur huius causa, quoniam *non est idem igni, & elemento esse*: Ea vero, quorum non est idem esse, non distinguuntur sola ratione. cum sit autem opinio D. Thomae, ut testatur Caietan. i. p. quaest. 28. art. 2. & aliorum, relationem distingui ex natura rei à fundamento, ratio vero elementi consistat in habitudine causae materialis, responderi poterit ad hoc dictum Philosophi, esse substantiale ignis, & esse respectum elementi distingui à parte rei. Has, & alias Philosophi auctoritates adducunt, & interpretantur oppositae sententiae auctores, quas proinde omitto.

IV.

Ratione facile res ostenderetur, si loquendum foret iuxta varias sententias opinantium quaedam nullo modo distingui intrinsece, & entitatiue à parte rei, sed sola ratione, & per extrinseca connotata: exempli causa fundamentum, & relationem, actionem, & passionem, genus, ac differentiam: etenim ea, de quibus enunciantur praedicata contradictoria, habere debent aliquam distinctionem: de praedictis autem dicuntur praedicata contradictoria: quare, cum non distinguantur saltem ratione, opus est, ut distinguantur saltem ratione. Assumptio patet: nam, si corrumpatur vnus terminus similitudinis, & maneat alter cum fundamento ipsius, verbi gratia cum figura, aut colore, verè dicitur similitudo desijt, figura non desijt: item verè dicitur, actio est actus agentis, passio non est actus agentis, animal est genus, rationale non est genus. Verum, quoniam alij existimant propositas combinationes distingui ex natura rei, argumentum ab eis sumptum non valet apud omnes. Ideoque hoc omisso, probo institutum alijs exemplis: nam ens, & substantia, accidens, & qualitas, non distinguuntur ex natura rei: & tamen de ijs dicuntur praedicata contradictoria: ergo distinguui debent ratione: consequentia patet ex eo, quod de re nullo modo distincta nequeunt verificari duae contradictoriae. Assumptio constat: nam verè dicitur, ens non est genus, accidens non est genus: contra verò dicitur, substantia est genus, qualitas est genus. Maiorem ostendo, quoniam, genera summa sunt primo diuersa: quae autem ita se habent, non constant duobus ex natu-

ra rei distinctis, quorum altero conueniant, altero differant: sed se totis conueniunt, ac differunt: ergo in substantia ratio entis, sub qua conuenit cum accidentibus, non distinguitur ex natura rei à ratione propria substantiae, qua ab illis fecernitur: neque in qualitate ratio accidentis à propria ratione generis summi qualitatis. Respondebitur, cum dicitur, ens non est genus, summi hoc nomen pro aggregato analogatorum, quatenus conueniunt: id verò distingui re ipsa à rationibus singulorum praedicamentorum per se sumptis, & ita contradictoria non verificari propter solam distinctionem rationis, sed propter distinctionem ex natura rei, quae nomine analogi inuoluitur. Verum non soluitur: namque nomine entis significatur aliqua ratio obiectiua intima cuius generi summo: cum enim dico, substantia est ens, aliquid enuncio de substantia pertinens ad rationem eius intrinsecam, & in ipsa verè inexistens: aggregatum vero entium repugnat, ut sit de ratione intima substantiae: quapropter ipsum per se non praedicatur in quid de singulis analogatis. Et confirmatur, quoniam, si designando Socratem, dicam hoc ens est homo, non est eadem propositio, ac si dicam, haec substantia est homo: & tamen in illa propositione nomen ens non sumitur confusè, & indeterminate pro aggregato entium, sed pro determinato, ac singulari ente, quod tamen ex natura rei est idem cum hac substantia, & tamen in ipso obiecto ita vno, & eodem, secundum rem intellectus adinuenit fundamentum respondens duobus nominibus, & conceptibus non synonymis: hoc verò non aliter esse potest, quam si detur distinctio aliqua rationis: namque ubi ex parte significati, aut modi significandi non est vlla diuersitas, nomina sunt synonyma, hoc ens, & haec substantia, quo ad modum significandi conueniunt, sunt enim nomina substantiua concreta: ex parte significati non est distinctio actualis ex natura rei: ergo distinctio rationis. Item posita communi sententia de simplici entitate nostri intellectus, haec omnes propositiones intellectus est apprehensiuus, est iudicatiuus, est discursiuus, non sunt eadem, ut patet: quoniam licet subiectum sit idem, praedicata tamen non sunt eadem, aut synonyma: & tamen omnibus respondet vnum, idemque obiectum re ipsa indistinctum, nempe vna, ac simplex entitas virtutis intellectus: ergo interuenit aliqua distinctio rationis. probat etiam Capreol. ubi supra

hoc

hoc modo, quæcunque conueniunt in vni-
ca ratione, dicuntur vnum ratione, quam-
uis re ipsa differant, vt plura indiuidua ho-
minis, dicuntur vnum in ratione specifica
hominis: ergo quantumcunque aliquid sit
vnum realiter, dicitur multiplex secun-
dum rationem, si possit concipi sub diuer-
sificationibus.

V. Verum difficultas existit, quomodo res
indistincta omnino in se denominetur
distincta ob solam apprehensionem intel-
lectus. Rubion. art. 1. citato conclusione 4.
respondet obiecta extrinsece denominari
ab actibus potentialium, quos terminant,
qua ratione lux dicitur visa, vita volita, &
similia: Hæc tamen ratio, si nihil addatur,
non satisfacit: nam aliud est denominari
ab ipsa actibus denominatione extrinseca,
aliud ab ijs, quæ accidunt actibus, cum ve-
ro corpus lucidum dicitur visum, aut vita
volita, est denominatio ab actibus, quo et-
iam modo ab actu intellectus obiectum
denominatur cognitum: at, cum ratione
actuum mentalium obiectum dicitur distin-
gui, forma denominans, non est ipse actus
intelligendi, sed distinctio, quæ illi acci-
dit: vtrum vero, aut curea, quæ accidunt
actibus, denominent obiecta, non est vn-
de colligatur: sunt enim pleraque, à qui-
bus non sumitur denominatio, vt discun-
renti planum fiet. Itaque fundamentum
non est sumendum ex communi ratione
actus, & obiecti omnium potentialium, sed
ex propria ratione actus, & obiecti intel-
lectus: nam ob specialem modum, quo
obiectum existit in mente ipsum intelli-
gente, nascitur, vt etiam ea, quæ conueniunt
actui, dicantur de obiecto, vt bene expli-
cat Hispanus. in 1. d. 8. quæst. 4. art. 4. ad
2. Gregorij contra secundam conclusio-
nem, Soncin. quæst. 4. ad 2. Gregorij con-
tra quintam conclusionem & ante illos
Capreol. quæst. 4. citata, art. 2. ad 2. Gre-
gorij contra 2. conclusionem, qui id collig-
it ex verbis D. Thomæ lib. 4. contra
Gentes cap. 11. quæ sic habent, *Intellectum,*
vt ex intelligente est intentio intellecta, & Ver-
bum, & ideo, inquit Capreol. illa, quæ conue-
niunt tali intentioni, quæ est in intellectu, vt in-
tentio est, possunt dici de re, cuius est intentio:
ita quod, si intellectus multos conceptus formet
de vna re, talis dicitur esse plures, & distincta,
& multiplex secundum rationem, hoc est se-
cundum esse, quod habet in intellectu, imò ipsum
potest dici multæ rationes, sicut dicitur vita in
Deo, vt intelligitur à Deo, quibus docet in-
differentem similitudinē inter obiectum,
& intentionem eius, intellecta esse in cau-
sa, vt illud denominetur ab ijs, quæ conue-

nunt intentioni ipsi, quatenus intentio est:
idque probat ex Euangel. Ioan. cap. 1. vbi
dicitur, *Quod factum est in ipso*, nempe in
Verbo, *Vita erat*, vbi propter similitudi-
nem rerum creaturarum præexistentem in
Verbo, ipse omnes dicuntur vita, cum plu-
res vita careant, quia similitudo ipsa vita
est, vt clarius exponit S. Thomas, q. 4. de
ver. art. 8. ad quem etiam modum alludit
Magister in 1. d. 35. itaque cum propter sui
similitudinem obiectum dicatur esse in
anima, & intelligens in actu dicatur intel-
lectum in actu, propter eandem etiam di-
citur sub vna intentione distinguere se ipso
sub alia, seu potius dicitur distinguere secun-
dum rationem: quæ doctrina, quatenus ea,
quæ conueniunt rei secundum esse intel-
ligibile, concedit posse verificari suo mo-
do de re ipsa, sumpta est à Comment. lib. 7.
Metaph. Com. 23. & lib. 12. Com. 51.

Pro solutione primi argumenti notan-
dum ex D. Thoma in 1. dist. 34. q. 1. art. 1.
ad 2. quamuis vtrique distinctio sufficiat
ad affirmationem, & negationem de sub-
iectis distinctis, tamen obseruandum esse
genus distinctionis, etsi fuerit realis, posse
distinctis affirmari prædicata contradicto-
ria realia: si vero fuerit sola distinctio
rationis, tunc enunciari contradicto-
ria, quæ fundantur in eiusmodi distinctio-
ne, non autem quæuis contradictoria rea-
lia: qua ratione in sententia eorum, qui cen-
sent superiora, & inferiora non distingui
ex natura rei, sed tantum ratione, verè di-
citur, animal est genus, homo non est ge-
nus, quoniam ratio generis conuenit ani-
mali sub abstractione ab homine, secun-
dum quam distinguitur ab ipso: non tamen
verè dicitur homo est sensitiuus, animal
non est sensitiuum, quia hoc est prædi-
catum reale conueniens vtrique, prout
sunt idem re: Hoc posito neganda est con-
sequentia primi argumenti, quoniam
contradictoria non sunt sub diuersis ter-
minis, sed debent in vtrique seruari ij-
dem prorsus: at hæc distinctio rationis,
de qua agimus, vt ipsemet Gregorius ad-
mittit, mutat terminos, ita vt non sint
synonymi, & ita hæc propositiones, *Sub-*
stantia est genus, ens non est genus, nequaquam
sunt contradictoria, quia non constant eo-
dem subiecto. Ad eam vero partem, qua
probatur fore semper veram affirmationem,
neganda est etiam consequentia. Ratio est,
quoniam, licet res à parte rei sit omni-
indiuisa, significari, & concipi poterit in-
adæquate, & cum distinctione secundum
rationem, ex qua oritur inæqualitas, siue
diuersitas aliqua secundum affirmationem

Ioan. 1.

S. Thom.

Magister.

Anerr.

VI.

S. Thom.

Gregor.

ac negationem: nam, si quis dicat, homo est rationalis, & animal est rationale, verè dixerit, & falso de utroque negabitur idem prædicatum: at, si addat terminum reduplicantem dicendo, Homo secundum quod ipse est rationalis, erit vera propositio, & eius contradictoria falsa, nempe, Homo secundum quod ipse non est rationalis, cum tamen illa alia maneat falsa, addito termino reduplicante, nempe animal secundum quod ipsum est rationale: quia scilicet reduplicatio disjungit rationes formales, & determinat subiectum ad standum pro illis, quatenus distinguuntur. Ad alteram partem, qua ostenditur, si sit distinctio rationis, negationes fore veras, respondetur rectè concludi quoad ea prædicata, quæ sequuntur distinctionem rationis, aut in ea fundantur, non vero quoad alia, quæ nituntur identitate ex natura rei. Ad primam confirmationem respondeo, si nomen *ratio* sumatur pro conceptu formali, rationes distinguuntur ex natura rei: si vero pro obiectiuo sub ea præcisè intelligibilitate, qua terminat formalem, non distinguuntur, sed ratione, cum vero inferatur ex hoc non posse communicare distinctionem subiecto, concedendum est de reali, qua carent, negandum de distinctione rationis, quæ habent ante actum quidem intellectus fundamentaliter, & in potentia, quatenus obiectum est aptum concipi inæquatur sub vna tantum ratione, post illum vero actum, quatenus concipitur inæquatur sub ratione vnius perfectionis cum præcisione aliarum. ex quo patet obiectum non habere sub vna ratione quidpiam ex natura rei distinctum ab eo, quod habet sub alijs. Ad secundam confirmationem respondeo, non esse absurdum verificari duos terminos contradictorios de eodem subiecto supposito sub diuersis rationibus, maxime reduplicantibus: nam punctum idem, quatenus est principium vnius lineæ, non est finis alterius, cuius tamen est finis, quatenus illam terminat; quo exemplo vtitur Capreolus in solutione huius argumenti, eodem vero modo res, quæ ratione distinguitur, absolute sumpta habet hanc, vel illam rationem: quatenus tamè stat sub vna, non habet aliam.

Capreol.

VII.

Ad secundum respondendum est, distinctionem rationis considerari in potentia, & in actu: & quatenus est in potentia, habere radicem in ipso obiecto, quod entitate sua continet eam perfectionem, ut possit intelligi pluribus conceptibus non synonymis: quatenus vero est actu, resultare ex operatione intellectus non adæquata obiecto cognoscibili, sed attingente il-

lud sub vna ratione virtuali ipsius, non sub omnibus: ex eo enim, quod intellectus apprehendit, verbi gratia punctum sub sola ratione finis, punctum sub ratione quandam intellectus in actu, quæ est alia ab ea, qua apprehenditur sub præcisa ratione principij: & ita ante actum intellectus duæ illæ rationes sunt in potentia in ipso puncto, posita vero notitia puncti, modo sub ratione finis, modo sub ratione principij illæ rationes sunt actu distinctæ non re, sed secundum rationem. hoc posito ad maiorem propositionem dicendum, distinctionem rationis sumi radicaliter, & originaliter ex rationibus obiectiuis virtute, ac potentia distinctis, formaliter vero, & actu ex operationibus mentis, & ex primo non sequitur distinctio ex natura rei actualis, ut patet: quod enim est solum virtute distinctum, non est actu distinctum. Ad rationem vero, qua probatur secundum esse falsum, admittenda est maior, & prior assumptionis pars: distinguenda vero posterior: nam, si intelligatur de mutatione intrinseca, & reali concedenda: neganda vero, si intelligatur de extrinseca, & intentionali: etenim obiecto diuersimodè concepto accidit mutatio extrinseca, & intentionalis secundum esse intellectum, quæ sufficit ad variandum fundamentum distinctionis secundum rationem, quod non opus est, ut varietur realiter, sed intentionaliter: & in hoc sensu admittenda est responsio indicata in ipso argumento. Ad cuius impugnationem negandum est antecedens: etenim, licet eadem omnino res sit in Socrate substantia, & ens, tamen quatenus significatur nomine entis, non terminat significationem, aut conceptionem mentalem respondentem huic nomini, *substantia*. Ad probationem vero antecedentis respondetur, obiectum ex natura rei prorsus indiuisum non habere rationes obiectiuas re ipsa distinctas, ratione quarum diuersimodè terminet hos, & illos conceptus mentales non synonymos: habere tamen plures rationes virtute, ac potentia, quod sufficit, ut aliter, atque aliter concipi possit ab intellectu, & per eius operationem fortiri distinctionem rationis. Ad primam confirmationem respondetur cum Capreolo art. 2. ad quintum Gregorij Hispanens. art. 4. & Sencin. eadem quæst. ad 3. Gregorij contra 2. conclusionem: & lib. 4. Metaphys. quæst. 3. in fine, etiam secundum operationes sensitivas res esse multiplices in esse cognito, quia tamen sensus communiter apprehendunt res sicut sunt, nec abstrahunt vnam rationem ab alia, idcirco communiter non dicimus res distin-

gu

qui secundum diuersos modos cognitionis
sensitiuæ. Ad secundam confirmationem
Clypeus Thomist. quæst. 10. in Porphy.
art. 1. ad 2. contra secundam conclusionem
concedit materiam, vt includit vnũ actum
distingui à se realiter, vt includit alium: idẽ
videtur concedere Heruæus quodlib. 3. q.
3. & Rubion. vbi supra, & fauet S. Thomas
q. 2. de malo, art. 6. ad 12. dicens pomum
esse vnum propter vnitatem subiecti, sed
multiplex quale, propter diuersitatẽ colo-
ris, & saporis: verum, si sumatur materia vt
includit esse formarum, iam nõ est materia
simpliciter, sed coniunctum ex materia, &
singulis formis: si vero sumatur materia
existens, tunc iuxta sententiã D. Thomæ,
tribuentis materiæ idẽ esse formæ, distin-
guitur realiter à se ipsa sub diuersis formis:
at vero iuxta sententiã, tribuentem illi
propriam existentiam coniunctio cum di-
uersis formis nõ infert distinctionem rea-
lem ipsius, quoniam non multiplicatur ef-
fe reale, cuius multiplicatio est causa distin-
ctionis. At per actiones intentionales mul-
tiplicatur esse rationis obiecti, quod diuer-
simode concipitur, & resultat distinctio
rationis. In hanc responsonem cadit illa,
quam assignant Capreol. & Soncin. cit. ad
5. Gregorij dum aiunt, hanc esse causam
discriminis inter actiones reales, & inten-
tionales, quoniam per actiones reales non
se ipsum subiectũ, sed aliquid circa ipsum:
& idẽ non transit distinctio in ipsum re-
spectu sui, quamuis cõueniat respectu alio-
rum: ac̃ enim enim illuminatus distingui-
tur accidentaliter à tenebroso: at per ope-
rationẽ intellectus obiectum habet nouum
esse intentionale, & quia secundum id po-
test esse diuersitas rationum, obiectũ quo-
que ipsum dicitur distingui secundum ra-
tionem: quia, vt ait Comment. lib. 7. Met.
corn. 23. quidditates sunt existentes in ani-
ma. dicitur enim sanitas de forma, quæ est
in anima, & de habitu, qui est in corpore,
& ambo sunt idem: quia igitur quidditas
dicitur esse in anima per conceptionem, ac
similitudinem sui, dicitur quoque ratione
distingui, quoties conceptiones ipsæ non
materialiter solum, sed formaliter distin-
guuntur. Ad tertiam confirmationem di-
cendum est cum Capreolo art. 2. in respon-
sione ad argumenta contra secundam con-
clusionem, distinctionem rationis esse ef-
fectiue quodammodo à ratione, hoc est ab
intellectu eandem rem diuersimode con-
cipiente, à ratione vero prout significat
conceptum formalem tanquã à distincti-
uo. Ad impugnationem prioris dicti re-
spondeo, intellectum posse eandem rem

inadæquate concipiendo sub vna ratione
conceptam distinguere à semetipsa, quate-
nus concipitur sub alia præscindẽdo vnã
ab alia: vt fit quando concipitur lapis nunc
sub præcisã ratione entis, nunc sub ratione
substantiæ: ex quibus conceptionibus re-
sultat aliud, atque aliud esse intentionale
lapidis. Ad impugnationem posterioris
respondeo cum Capreolo vbi proximẽ, ra-
tiones eiusmodi esse principia distinctiua
rei non secundum se, sicut enim non distin-
guitur: sed secundum esse intellectum,
quomodo rationes illæ pertinent ad ipsum
intrinsecè, & quidditatiuè: argumentum
vero solum probat, rationes eas non esse
principia distinctiua intrinseca rei secun-
dum se.

Ad tertium respondetur, distinctionem
rationis non appellari hoc modo ab extre-
mis, siue obiectis, quæ denominat, sed à
causa, hoc est, quia non est vera distinctio
in re ipsa, sed per rationem resultans: & hæc
ex æquo denominare potest entia realia, &
rationes: quandoquidem, cum vtraque
apprehendi possint ab intellectu sub alia,
atque alia præcissione, & diuersimode com-
parari, vtraque secundum esse intellectum
subire possunt distinctionem rationis: si-
militer etiam distinctio realis non sumitur
à subiectis: nam, vt constat ex dictis, entia
realia denominantur distincta secundum
rationem: sed sumitur à fundamento reali,
& ratione fundandi inuenta in re absque
operatione intellectus: & quoniam enti-
bus rationis non potest competere funda-
mentum reale, idcirco neque distinctio
realis, quanquam non improbabiler dici
queat cum recentioribus Metaphysicis,
entia quoque rationis vindicare quandam
distinctionem, quæ licet non sit realis ob-
rationem assignatam, tamen propriè lo-
quendo non est distinctio rationis, hoc est
ficta per intellectum, quandoquidem ex se
ipsis absque alia noua comparatione intel-
lectus distinguuntur: vt videre est in di-
stinctione, qua relatio generis distinguitur
à relatione speciei: nam ea distinctio ma-
terialis, de hac enim loquimur, consistit in
negatione identitatis vnus extremi cum
alio; quæ necessario competit absque noua
comparatione intellectus: sed de his co-
piofus Logici, ac Metaphysici. Nobis ad
præsens institutum sat est statuisse, res
non solum realiter, sed etiam
ratione distin-
gui.

VIII.

Quid sit distinctio rationis.

CAPVT II.

I.

Aristot.

Distinctio, vt constat ex tractatu superiore, formaliter sumpta, est relatio inter plura, quæ non sunt aliquo modo vnum: pluralitas enim est fundamentum distinctionis, siue diuersitatis, vt ait Philosophus lib. 5. Metaphys. t. 16. & ita si loquamur de distinctione rationis formaliter sumpta, est habitudo rationis inter extrema, quæ sunt idem prorsus in re, multa vero secundum rationem. Non enim repugnat, vt mens nostra vtatur vno, vt pluribus, vt docet Philosophus ibidem, vt cum vnus homo singularis dicitur idem sibi ipsi. Nam, cum concipi non possit relatio nisi inter duos terminos, & identitas sit relatio, necesse est, vt cum mens nostra concipit Socratem, vt eundem sibi, ipso vtatur vt pluribus, vt ita stare possint termini comparationis secundum identitatem. Cum vero dico, distinctionem rationis esse habitudinem inter extrema, quæ sunt multa secundum rationem, loquor formaliter, ita vt multitudo sit immediata ratio fundandi relationem distinctionis. In omnibus enim respectibus rationis requiritur multitudo extremorum ob rationem assignatam: sed in alijs multitudo se habet materialiter, & interuenit alia ratio fundandi proxima, vt videre est in relatione generis ad sua subijcibilia: opus quippe est, vt prædicabile, ac subijcibile concipiantur vt plura: non tamen sufficit, sed vltterius requiritur aptitudo præcisionis, de qua Logici. At distinctio rationis formaliter sumpta, nihil aliud requirit præter multitudinem secundum rationem: sicut enim distinctio ex natura rei fundatur in multitudine actuali à parte rei, ita relatio distinctionis secundum rationem, fundatur in multitudine secundum rationem: sed quoniam Theologus non curat de distinctione, quatenus relatio est, sed de eius fundamento, de hoc, illa relicta, deinceps dicam.

II.

Clypeus.

Quoniam vero, vt iam dixi, multitudo rationum est fundamentum distinctionis secundum rationem, oportet explicare quid sit ratio, secundum quam debet esse multiplex res, quæ ratione distinguitur. Clypeus Thomistarum q. 10. in Porphy. art. 1. ad 1. contra 2. conclusionem ait rationem dupliciter accipi: primo pro actu intelligendi, & hoc modo non accipi, cum res dicuntur distingui ratione, quia huius-

modi distinctio est realis, vt pote fundata in multitudine reali conceptuum: secundo pro ente rationis consequente rem, prout est obiectiue in intellectu, quæ est relatio cogniti, & hoc modo sumi rationem, cum res dicuntur distingui ratione. Verum hæc acceptio nominis ratio est parum vsurpata: ratio enim vt infra dicam, est id, quod intellectus concipit de obiecto, vnde ortum habet celebre dictum Philosophi lib. 4. Metaph. t. 11. ratio, quam nomen significat, est diffinitio. prius autem est conceptio mentalis diuersa, cui respondet diuersa ratio obiectiua, quæ sit relatio cogniti ad conceptum, siue intellectum cognoscens. Itaque quamuis non sit negandum, quoties est diuersa habitudo obiecti cogniti ad rationes formales dari multipliciter rationum sufficientem ad distinctionem rationis, tamen ratio, cuius multitudo est proximum fundamentum distinctionis secundum rationem, non est ipsa relatio cogniti ad cognoscens, sed aliquid illi præuium, seu potius ipsum esse intentionale, quatenus est aliquid ipsius obiecti, vt inferius exponam.

Vt autem pateat, quænam sit ratio, cuius multipliciter requiritur ad distinctionem rationis, notandum cum Heruæo quodlibet. 3. quæst. 3. art. 1. post medium rationem accipi tripliciter, in primis pro entitate reali formali cuiusque rei, sicut albedo est ratio albi, rationalitas ratio hominis: altero modo sumitur pro conceptu mentali, quem effingimus de obiecto cognito: & ratio sic accepta est subiectiue in intellectu, ideoque appellatur à Syluestro in conflato quæst. 13. art. 6. initio, ratio formalis subiectiua: Tertio modo sumitur pro eo, quod ex parte obiecti respondet conceptui mentali, & est in mente obiectiue, & vocatur à Syluestro citato, ratio formalis obiectiua. Ex his tribus acceptionibus prima est aliena à præsentī institutione: namque ita differunt etiam ea, quæ distinguuntur à parte rei: de secunda, ac tertia modo potest esse dubitatio.

Heru. vbi proximè, & in 1. d. 2. quæst. 2. §. Quantum ad primum, Durand. quæst. 3. num. 9. Bellouius de terminis Theologicis tract. 2. cap. 212. Torr. 1. p. quæst. 28. art. 2. dist. 2. dub. 4. censent rationem, secundum quam res dicuntur ratione distingui, non esse formalem, quæ est subiectiue in mente, sed obiectiuam. probatur autem primo, quoniam distinctio actualis conceptuum, siue rationum formalium non sufficit, vt aliqua distinguantur ratione: nam eadē omnino res, & indistincta, etiam

secundum

III.

Hernani.

Syluest.

IV.

Hernani.

Durand.

Bellouius.

Torres.

secundum rationem potest obici, diuersis conceptionibus formalibus siue in intellectu eiusdem hominis, alio atque alio tempore siue plurium eodē: quomodo sapientia potest simul terminare plures conceptus diuersorum: & tamen sapientia à se non distinguitur ratione. Ex quo sequitur distinctionem rationis non sumendam à rationibus formalibus, sed obiectiuis. Secundo si ex solis rationibus formalibus sumenda est distinctio rationis, secundum eam non erit diuersitas penes magis, ac minus: hoc est falsum: ergo & illud. Probatur maior propositio: distinctio conceptuum formalium secundum rem, in qua fundatur distinctio rationis obiectorum, æqua omnino esse potest in omnibus, non minus enim sunt plures conceptus re ipsa distincti, cum dico gladius est ens, quam cum dico, substantia est ens. falsitas consequentis ostenditur, nam maior distinctio est inter substantiā, & ens, quam inter gladium, & ens, & tamen vtrique sola ratione distinguuntur. Tertio rationes formales intellectus distinguuntur re ipsa: ergo distinctio fundata in eorum multiplicitate erit realis. Denique si ex sola distinctione conceptuum formalium pendet multitudo, quæ est fundamentum distinctionis secundum rationem, tota causa distinctionis ascribenda est modo intelligendi, non autem obiecto: Consequens est falsum: ergo & antecedens: falsitas consequentis patet, quoniam existente eadem diuersitate conceptuum formalium, quædam sola ratione distincta non possunt verè de se inuicem negari, nunquam enim verè dicitur, gladius nō est ens: quædam vero possunt: nam verè dicitur rationalitas non est animalitas, item ratio inferior non est ratio superior.

V. Dico primum, ratio, cuius multiplicitas exigitur ad distinctionem rationis in commune sumptam, non necessariò debet esse obiectiua, sed sat est formalis inuicem comparata. Hæc est de mente Aristotelis, qui lib. 5. Metaphys. t. 16. ait, nos vti vno vt pluribus: hoc vero usurpat ad explicandam rationem identitatis eiusdem ad se ipsum: itaque cum Socratem concipimus, vt eundem sibi, cum vnitate in re est pluralitas secundum rationem, nec tamen adsunt plures rationes obiectiue, sed eadem omnino respondens pluribus formalibus. Præterea, cum sit propositio identica, & eadem res subit vicem prædicati, & subiecti, interuenit distinctio rationis eiusdem à se, vt docet D. Thomas, & alij Doctores referendi

Gilij comment. Theol.

cap. 4. num. 3. nec tamen distinctis rationibus formalibus respondent plures obiectiue, sed vna: nam si plures responderent, propositio non esset identica: ad hanc enim requiritur, vt idem omnino sit prædicatum, & subiectum, secundum rationem obiectiuam. Denique, vt constat ex cap. proximo, distinctio rationis conuenit rei secundum esse intellectum, sed absque distinctione rationum obiectiuarum potest res habere varietatem secundum rationes formales, sub quibus concipiatur sub habitudine ad se ipsam: atque adeò, cum habitudo intelligi nequeat absque aliqua extremorum distinctione, & pluralitate, hoc ipso debet esse multiplex secundum rationem. Posterior pars assertionis adhibita est ad excludendam multitudinem rationum formalium non habentium ordinem, aut comparisonem ad inuicem: ex eo enim, quod idem homo per interualla, vel diuersi simul habeant singuli singulos conceptus formales re ipsa distinctos, quibus respondeat eadem omnino ratio obiectiua, non sequitur pluralitas, aut distinctio secundum rationem: ad hanc enim opus est, vt eadem res sumatur vt plures: cum vero res ab vnoquoque seorsim simpliciter consideratur in se ipsa absque vlla comparatione, aut habitudine sui ad se, non sumitur vt plures: quod autem simul concurrant in diuersis intellectibus plures eiusdem rei conceptus, est per accidens: nam secundum esse intellectum, quod habet in singulis, non nisi vnica est. Si vero adsit comparatio, iam necessario interuenit multiplicitas: siquidem intellectus vnus, & idem simul, & vnico quasi ictu fertur in rem tanquam in plures, & ita eam quasi diuidit à se ipsa: ita se habet, qui format animo enunciationem identicam, & qui concipit rem, vt eandem sibi.

VI. Ex his patet responsio ad argumenta prioris sententiæ. Ad primum respondetur, non sufficere ad distinctionem rationis quamuis multipliciter rationum formalium absque habitudine, vel ordine: qualis est illa, quæ in argumento adducitur. Ad secundum respondetur, negando primam consecutionem: nam quamuis distincti conceptus mentales re ipsa æque distinguantur, tamen inter quosdam maior est conuenientia secundum rationem intellectam, quam inter alios: Imple causa conceptus Socratis à parte subiecti, secundum rationem intellectam magis conuenit cum conceptu altero eiusdem, vt se

Rrr 2

habet

habet à parte prædicati, quam conceptus entis cum conceptu substantiæ: & consequenter, quia distinctio rationis est secundum esse intellectum, quemadmodum rationes intellectæ magis, aut minus conueniunt, vel differunt, ita obiecta dici poterunt differre magis vel minus secundum rationem: sicut re vera magis differt substantia ab ente, quam Socrates à se ipso, quatenus est prædicatū, & subiectum: quod fufius explicat Henricus in sum. art. 51. quæst. 2. Ad tertium respondeo, rationes formales aut considerari secundum esse reale physicum, quod habent in mente, aut secundum esse repræsentatum: priore modo distinguuntur realiter, nec secundum hanc considerationem sumitur ab eis distinctio rationis: posteriore modo consideratæ, sunt aliquo modo idem cum obiectis, vt ostendi cap. præcedenti num. 5. & quia esse repræsentatum, siue intellectum eiusdem obiecti indistincti, ex natura rei non afficit illud realiter, sed intentionaliter, nõ confert ipsi distinctionem actualem ex natura rei, sed rationis. Ad vltimum dicendum est, ita requiri ad distinctionem rationis pluralitatem conceptuum formalium saltem possibilem, vt non negetur etiam conducere pluralitatem rationum obiectiuarum. & ita distinctio rationis non pendet præcisè ab operatione intellectus, & modo intelligendi nostro, sed etiam habet fundamentum in re, vt inferius exponam, & ideo non habet vim argumentum, quia supponit ex sola distinctione formalium conceptuum, absque vlla habitudine ad rationes obiectiuas pendere omnem distinctionem rationis.

VII.

Verum adhuc superest dubium: Vtrum, licet multitudo rationum obiectiuarum per se non requiratur, sit tamen sufficiens absque actuali multitudine rationum formalium. Pro parte affirmatiua, quam tueretur Bachon. in 1. d. 2. quæst. 2. art. 3. §. 1. art. 4. facit, quoniam multitudo omnis infert aliquam distinctionem: ergo multitudo rationum obiectiuarum eam quoque inuehet: non realem, vt patet: ergo secundum rationem. quod autem id præstet absque multitudine rationum, siue conceptuum formalium, suadet, quoniam multitudo rationum obiectiuarum est prior multitudine formalium non identicarum: ergo in eo priore poterunt communari rei distinctionem secundum rationem. Patet consequentia, quoniam, si à rationibus formalibus non pendent, vt sint multæ obiectiuæ etiam absque illis

communicare poterunt subiecto multiplicitatem, ac distinctionem secundum rationem. Antecedens vero suadet, quoniam rationes mentales, sicut ab obiecto sortiuntur naturam, ac speciem, ita unitatem, & multitudinem: ab eodem enim res habet, vt sit, & vt sit vna: quare prius est multitudo rationum obiectiuarum, secundum quas obiectum est intelligibile multipliciter ab intellectu, quam sit multiplex conceptio mentalis. Secundo aut multiplicitas conceptionum mentalium habet fundamentum in re, aut non: si non habet, non potest ab ea sumi distinctio afficiens, ac denominans rem, sed est falsa, & inanis conceptio: si habet, non potest esse aliud, quam multiplicitas rationū obiectiuarum, quæ præsupponuntur à formalibus, & denominant subiectum multiplex secundum esse intelligibile. Cum vero esse intelligibile rei sit suapte natura prius, quam esse intellectum, prius quoque res diceretur multiplex secundum rationem à rationibus obiectiuis, quam à formalibus.

Dico secundum. Actiuitas obiectiua, vel motiua intellectus, ad formas à distinctas rationes formales non est ratio, cuius multitudo est proximum fundamentum distinctionis rationis, sed remotum, ac radicale. Hæc est Doctorum asserentium, distinctionem rationis actualem non esse nisi ex consideratione actuali intellectus distinguentis, antea vero non nisi in radice, & potentia. Ita Henric. in sum. art. 51. quæst. 1. quodlibet. 5. quæst. 1. ad argumentum, & quodlibet. 13. quæst. 1. Toletan. in 1. d. 8. quæst. vn. art. 4. ad vlt. Capreol. quæst. 4. art. 2. ad 15. Aureoli contra secundam conclusionem. Hispalens. eadem quæst. art. 3. in fine. & art. 4. ad 15. Aureoli contra 2. conclusionem. Dionys. Cisterciens. d. 22. quæst. vn. art. 2. conclusionem 6. Caietan. de ente, & essentia q. 12. §. Ad euidentiā. Ferrariens. lib. 1. contra Gentes cap. 35. §. Vnde si quæritur, lauell. lib. 12. Metaphys. quæst. 19. ante primam conclusionem ex 2. loco positis. Eiusdem sententiæ sunt alij, quos referam pro 3. assertionem. Probatur autem prior pars primo, quoniam multiplicitas illa actiuitatum, aut est actualis, aut virtualis: si virtualis, non est proximum fundamentum distinctionis actualis, qualis est distinctio rationis, de qua agimus: si actualis, cum sit ante actum intellectus distinctio, in ea fundata erit distinctio ex natura rei actualis, non vero solius rationis: quare sola actiuitas obiectiua ad causandas diuersas ratio-

nes

Henric.

Bachon.

VIII.

Henric.

Toletan.

Capreol.

Hispalens.

Cisterciens.

Caietan.

Ferrariens.

Lauell.

nes formales in mente non est proximum fundamentum distinctionis secundum rationem. Præterea distinctio sequitur esse: nam idem, ac diuersum sunt proprietates consequentes ipsum esse rei: sicut ergo distinctio ex natura rei supponit esse naturale, & eius multiplicitem, ita distinctio rationis supponit esse rationis, & eius multiplicitem: at vero actiuitas illa obiectiua est prior natura, quam esse rationis actuale, ergo non est fundamentum proximum distinctionis actualis secundum rationem. Posterior vero facile ostenditur, quoniam multiplicitas omnis rationis ratiocinatae radicatur in aptitudinali multiplicitate obiecti, vt diuersimode concipiatur, & comparatur: quæ si desit, non erit multiplicitas actualis: atque adeo neque distinctio rationis.

IX. Dico tertium. Ratio, cuius multiplicitas inducit actualem distinctionem rationis, est actualis conceptio mentis abstractantis, aut comparantis rationes obiectiuas ex natura rei minime distinctas: Hæc est S. Thomæ opuscul. 9. q. 1. Richard. in 1. d. 2. art. 1. quæst. 3. art. 2. & quæst. 4. Rubion. in 1. d. 8. quæst. 4. art. 1. conclusionem 4. & art. 2. Toletan. quæst. vn. art. 2. in Corollar. 4. conclusionis. Capreol. quæst. 4. artic. 1. conclusionem 2. & loco proximè citato, Soncinæ quæst. etiam 4. conclusionem 5. lib. 4. Metaph. quæst. 29. §. *Respondeo*, & lib. 7. quæst. 36. & aliorum, quos retuli pro præcedenti assertionem. Fundamentum tactum est superius in probatione secundæ assertionis: quoniam distinctio actualis fundatur in esse actuali: esse vero actuale est tantum duplex, nempe ex natura rei, & per operationem intellectus, quod dicitur esse intentionale: hoc vero non est aliud, quam ipsa notitia, qua obiectum existit secundum esse intellectum: ergo notitia ipsa vt terminata ad obiectum, est ratio cuius multitudo requiritur ad actualem distinctionem rationis. Secundo, posita multiplicitate notitiæ hoc ipso resultat distinctio rationis, ea non posita nondum intelligi potest: ergo ea est proximum fundamentum distinctionis. Patet consequentiæ: nam fundamentum proximum est id, quo posita ponitur relatio, & sublato tollitur: Antecedens vero ostenditur quo ad priorem partem: nam si idem obiectum quis multipliciter concipiat, & compareret, hoc ipso potest de illo sic intellecto enunciare contradictoria saltem sub reduplicatione: id vero fieri nequit, nisi adsit aliqua distinctio ex parte obiecti, de quo enunciantur: non realis, vt

suppono, ergo rationis: quo ad posteriorem probatur: nam vbi nulla est multiplicitas actualis, nulla interuenit distinctio, ante multiplicitem notitiæ actualis, non est multiplicitas actualis secundum esse intellectum, non secundum esse naturale, loquor enim de obiecto, ex natura rei indistincto: ergo ante multiplicem notitiam eiusdem obiecti non est distinctio rationis. Dixi vero hanc conceptionem esse intellectus abstrahentes propter obiecta, quæ ob sui eminentiam habent plures rationes obiectiuas, quarum vna concipi potest sine alia, & tunc ad distinctionem rationis fat est concipere idem obiectum, modo sub vna ratione, modo sub alia. Dixi vel comparantis, quoniam quando ex parte obiecti non est ea fecunditas intelligibilitatis, vt ipsum respondeat pluribus conceptibus non synonymis, fat est, si sub eodem conceptu synonymo ad se ipsum diuersimode compareretur: vt cum idem prædicatur de se ipso: nā quatenus subiectum distinguitur ratione, à seipso, quatenus prædicatum.

Sed vnum restat dubium vtrum scilicet ad huiusmodi distinctionem actualem requiratur pluralitas actualis conceptuum mentalium, an vero in vnico conceptu suapte natura indistincto attingente, clare ac distincte singulas rationes obiectiuas fundatas in vnico obiecto, nō minus quam attingant plures conceptiones actu distinctæ, sit actualis distinctio secundum rationem. Ratio dubitandi est, quoniam ille vnicus conceptus potest esse non solum apprehensio, sed etiam iudicium, quo rationes illæ inuicem affirmantur, vel etiam negentur, saltem sub reduplicatione. omnis autem affirmatio, ac negatio supponit actualem multiplicitem rationis inter extrema.

Dico quartum. Actualis distinctio rationis necessario requirit multitudinem conceptuum formalium. Hæc est communis Doctorum asserentium, ad distinctionem rationis requiri, vt obiectum respondeat diuersis conceptibus. ita S. Thom. in 1. d. 2. quæst. vn. art. 3. ad 6. Cisterciens. Ferrar. Soncin. vbi supra, & alij, quos referam cap. 9. num. 3. Fundamentum huius est quoniam omnis distinctio actualis supponit, multiplicitem actualem eius esse, secundum quod est distinctio: omnis vero distinctio rationis est penes esse intentionale, siue intellectum: hoc autem non multiplicatur actu, nisi sint plures conceptus actu distincti ex natura rei: ergo si sit vnus tantum, non erit distinctio rationis actualis, & confirmatur, quoniam nisi

X.

XI.

S. Thom.
Cisterciens.
Ferrariensis.
Soncin.

distinctio radicalis prodeat in actum, non datur actualis: radicalis autem non aliter prodit in actum, quam si obiectum re ipsa indistinctum actu terminet plures conceptiones mentis, ac si re ipsa multiplex esset; denique obiectum re ipsa vnum, virtute multiplex, habet vnam intelligibilitatem obiectiuam adequatam re ipsa vnam, virtute multiplicem: ergo, cum ratio obiectiuam secundum esse intelligibile, & ratio formalis secundum esse intellectum, si sint inuicem adequata, sibi mutuo respondeant, sicut obiectiuam est actu vna, & virtute multiplex, ita formalis secundum esse intellectum erit actu vna, & virtute multiplex. Ex quo sequitur, quoties vnico conceptu formali simplici attingitur clare, ac distincte, obiectum virtute multiplex, in eo conceptu non esse actualem multipliciter, aut distinctionem rationis; sed solum virtute, quatenus equipollet pluribus conceptibus actu distinctis, quorum singuli attingunt idem obiectum inadaquate sub diuersis rationibus. Ex quo patet solutio ad rationem dubitandi: nam perfectio conceptus equipollet pluribus quo ad modum attingendi obiectum distincte sine imperfectione distinctionis actualis, quae in illis est, quamuis autem sit formaliter iudicium, non proinde exigit actualem distinctionem, nisi sit per modum compositionis, ac diuisionis, quae non datur in vnico simplici conceptu.

XII.

Pro solutione argumentorum, quae superius proposui, pro sententia Bachonij obseruo statum praesentis controuersiae esse de distinctione rationis actualis: nam virtualis suapte natura est prior actuali, quamuis intelligi nequeat absque habitudine ad actualem, & multitudinem conceptuum formalium. Hoc posito respondeo ad primum argumentum, pro varietate multitudinis expendendam esse distinctionem: nam si multitudo fuerit actualis, distinctio quoque erit actualis, virtualis autem, si multitudo fuerit solum virtualis: at vero rationes obiectiuae rei suapte natura indistinctae sine respectu ad plures conceptus formales non actu, sed virtute solum sunt plures: & ideo si considerentur absque eiusmodi habitudine actuali non sunt satis ad distinctionem rationis actualem. Itaque concedenda est prima consequentia, si intelligatur de multitudine, ac distinctione virtuali: negandum vero, si intelligatur de actuali: nam sicut rationes obiectiuae ante actum intellectus sunt virtute plures, ita quoque sunt virtute distinctae, & sicut non sunt actu

plures, ita neque actu distinctae. Ad antecedens vero eius rationis, qua probatur rationes obiectiuas, quo ad rationem multitudinis, non pendere a formalibus, eadem distinctione occurrendum est dicendo, prius esse multitudinem virtualem rationum obiectiuarum, quam actualem formalium, actualem vero nequaquam. ut vero rationes obiectiuas secundum se non sufficiant ad distinctionem actualem: satis est, ut nequeant esse plures actu sine multiplicitate actuali rationum formalium. Argumentum vero, quo suadetur antecedens, solum probat in obiecto esse multitudinem virtualem ante actualem conceptum. Idipsum, & nihil amplius probat secundum argumentum: nam cum intellectus componat diuisa, & diuidat composita: non requiritur a parte rei multiplicitas actualis, sed satis est virtualis: secundum quam obiectum est aptum aliter, atque aliter mouere intellectum, aut conceptionem eius terminare.

XIII.

Ex dictis elici potest descriptio rationis, secundum quam res multiplex esse debet, ut dicatur ratione distinguui, in hunc modum: *Ratio est esse intellectum obiecti actu, vel virtute praesum a quouis alio esse intelligibili: dixi esse intellectum*, quoniam conceptio mentalis, quae verè est ratio rei obiectae, est esse intellectum obiecti: *Addidi actu, vel virtute*, ut comprehendam tam rationes formales, quam obiectiuas. per has enim obiectum est virtute intellectum, per illas actu: subdidi *praesum a quouis alio esse intelligibili*, quandoquidem non habet nomen rationis id, quod non potest per se solum terminare vllum conceptum. Multitudo vero, quae est fundamentum distinctionis secundum rationem, est multiplicitas rei secundum esse intellectum, modo explicato, seu potius multiplex esse intellectum rei. Nam quemadmodum multiplicitas secundum esse actuale, quod res habet in se, constituit circa illam distinctionem a parte rei, ita quoque multiplicitas secundum esse intellectum, quod res habet obiectiue in intellectu, constituit circa eandem distinctionem rationis. Ex quo tandem elicitur descriptio distinctionis secundum rationem per suum fundamentum, quae sic habet: distinctio rationis est multiplicitas secundum esse intellectum rei in se actu indistincta.

(··)

Adequa-

Adæquate diuiditur distinctio
in realem, & ratio-
nis.

CAPVT III.

I. **A**Ntequam ulterius progrediar in explicanda natura, & diuisione distinctionis secundum rationem, oportet, ut dicam, sit ne aliqua distinctio actualis, quæ non sit ex natura rei, per rationem. Porro ad tollendam ambiguitatem, notandum est, cum diuersa ratio conueniat omnibus, quæ quocunque modo distinguuntur, omnia quoque distingui ratione: siquidem si ex natura rei distinguuntur, consequenter etiam apprehenduntur ab intellectu sub diuersis rationibus. Verum hæc distinctio secundum rationem, non est membrum contra diuisum à distinctione ex natura rei, sed est quasi genus ad omnes modos distinctionis. Et hoc modo accipiunt distinctionem rationis. Alphonsus de Toletio in 1. distinct. 8. quæst. vnica, art. 2. in Corollar. quartæ conclusionis. Capreol. quæst. 4. art. 2. ad 6. contra primam conclusionem: & ad 6. Gregorij contra 2. Syluest. in conftrato quæst. 3. artic. 3. §. 1. Soncin. 4. Metaphys. quæst. 29. conclusione 1. Alexand. Achil. in tractat. de distinctionibus cap. 19. & alij. præsius adhuc distingui cogitatione, siue ratione dicuntur à diuo Basilio libro 1. contra Eunomium inter principium, & medium, ea, quæ aliquo modo tanquam vnum, & simplex sese menti offerunt, & nihilominus cogitatione mentis in plures rationes fecantur: sic enim ait, *Consideremus ergo, quod in communi quidem usu quacunque repentina comprehensione simplicia videntur, ac vnica: varia vero, ac multiplicia, si subtilius exquirantur: hæc cum mente diuiduntur, & in plures, id est, opinione sola diuisa dicuntur.* deinde verò subdit exemplum corporis, quod vnum quid apparet, & nihilominus in colorem, figuram, duritiem, magnitudinemque ratione dissoluitur, ac multiplex ostenditur: color verò, figura, & cætera suapte natura distinguuntur: deinde verò subdit exemplum tritici, quod nunc fructum, nunc semen, nunc cibum appellamus: quæ tria in ipso non reipsa, sed sola ratione distinguuntur. sed enim vsurpatio latius patet ea, qua sumitur distinctio rationis, prout opponitur distinctioni ex natura rei, itaque maxime proprie dicitur di-

stinctio rationis ea, quæ excludit ab extremis distinctionem ex natura rei, & solum existit per operationem intellectus: quo pacto distinctionem rationis accipit sanctus Thomas in 1. distinct. vigesim. secund. quæst. 1. vn. artic. 3. ad quartum, & alij, qui negant distingui ratione ea, quæ distinguuntur à parte rei. De hac acceptio-
ne sermo est in præsentiarum, quia distinctio ex natura rei, & distinctio rationis primò modò sumpta, non sunt membra contra diuisa.

S. Thom.

Henric. in sum. artic. 27. quæst. 1. lit.

II.

Henricus.

M. item quodlibet. 5. quæst. 6. & 12. triplex in vniuersum statuit distinctionis genus, nempe distinctionem secundum rem, secundum intentionem, secundum solam rationem: re differre censet ea, quæ important diuersas naturas, & essentias, supra quas fundantur diuersæ rationes, ac intentiones. Vt autem explicet quid sit intentio, monet non accipi ad eum modum, quo à Logicis dicuntur primæ, & secundæ intentiones, sed esse aliquid pertinens ad simplicitatem essentia, natū præcisè concipi-
absq; aliquo alio ad eandem similiter pertinente, à quo non differt re absoluta: ex quo dicitur intentio, quasi intus tentio, eo quod mens conceptu suo in aliquid, quod est in re aliqua, determinate tendit, & non in aliquid aliud, quod est aliquid eiusdem rei: ut sic per intellectum formentur diuersi conceptus de eodem obiecto secundum rem, tanquam de diuersis penes conceptum mentis, re autem eisdem: & iuxta hanc doctrinam ait illa differre intentione, quæcunque de se formant diuersos conceptus, quorum neuter, vel saltem vnus non includit alterum. Hæc verò censet esse solummodo ea, quæ in diuersis sunt diuersa re, & si in eodem sint ipsum re, ut se habent differentia subordinata inter se. Nam vegetabile quamuis in bruto sit idem re cum sensitiuo, in planta tamen distinguitur realiter ab illo: & sensitiuum, quamuis in homine sit idem cum rationali, tamen in equo habet distinctionem realem à rationali hominis: itaque illa differunt intentione, quæ sunt idem ex natura rei, ac terminant distinctos conceptus, se mutuo, vel saltem altera ex parte excludentes: mutuo se excludunt differentia subordinata, ut sensitiuum, ac vegetabile, neutrum enim includit alterum formaliter: altera ex parte, ut Homo, & animal: nam, licet conceptus Hominis includat conceptum animalis, nihilominus à cōceptu præcisō animalis excluditur

ratio Hominis. Ratio verò apud ipsum non est ipsa mentis operatio, quo sensu argumentum dicitur ratio rei dubie faciens fidem, sed est modus aliquis circa rem, sub quo nata est concipi determinate absque eo, quod concipiatur sub alio, sub quo similiter nata est concipi: & hoc sine omni differentia eius secundum rem, vel intentionem: ex quo infert, ea differre ratione sola, quæcunque eadem resunt, & formant eundem conceptum, sed modo diuerso. Qua in re locutus est Henricus, ambigue, nam cum quodlibet. 5. quæstio. 6. appellet modum circa rem conceptam, non constat, vtrum intellexerit modum ipsius rei præcedentem modum concipiendi, an verò hunc ipsum appellauerit modum circa rem, quia intellectus rem hoc, vel illo modo concipit. Et quidem, vt rectè procedat, debet intelligere solum modum concipiendi, vt alibi videtur indicare. nam si circa rem ipsam est diuersus modus, non est sola distinctio rationis, sed ex natura rei. Item dubium est vtrum distinctio secundum intentionem, sit etiam ex natura rei, an verò partim ex natura rei, partim per intellectum. Hoc secundum videtur indicare, cum ait, quæ intentione distinguuntur, non sola ratione distingui. nam si non distinguuntur sola ratione, distinguuntur tum ratione, tum aliquando alio modo, scilicet ante rationem, & ex natura rei: nam ex eo negat substantiam, & relationem distingui intentione, quia cadunt circa idem absque compositione, ac diuersitate rei, sine qua non potest esse diuersitas intentionum: si sine diuersitate esse nequit diuersitas intentionum, profecto hæc inuoluit aliquam diuersitatem rei, ac proinde distinctio secundum intentionem, partim est per intellectum, partim in re ipsa.

III. Verum consideratis omnibus, quæ Henricus ait locis citatis, mens eius est, distinctionem secundum intentionem non esse actu ante operationem intellectus, sed solum virtute, ac fundamentaliter, quia in ipsa re propter eius simplicitatem, ac perfectionem est radicale fundamentum, cui intellectus diuersis conceptibus præcis, vel in totum, vel secundum partem, eandem rem apprehendat. Et ita cum ait, quæ intentione distinguuntur, non sola ratione distingui, non intendit inducere distinctionem ex natura rei actualem, sed solum fundamentalem: cum verò ait, sine diuersitate rei non posse dari diuersitatem intentio-

num, non loquitur de diuersitate rei eiusdem, quæ intentione distinguitur, alioquin contradiceret sibi citato loco summe, afferenti diuersitatem intentionum requiri in re, quæ propter simplicitatem est eadem sibi ex natura rei: solum itaque vult non posse reperiri diuersitatem intentionum, sine diuersitate rei in diuersis subiectis, quo pacto animal, & rationale distinguuntur intentione: quia licet in Homine non patiantur discrimen reale, id tamē admittunt in Homine, ac bruto: animal enim in bruto distinguitur à rationali Hominis: quæ verò nunquam saltem in diuersis subiectis possunt distingui ex natura rei, non intentione, sed sola ratione distinguuntur.

Hæc est sententia Henrici, quam aliqui recentiores non rectè intelligentes, aiunt ipsum statuere duos modos, quo aliqua distinguuntur ratione: vnum cum distinguuntur intentione, ita vt vnum non includat alterum, vt se habent genus, ac differentia, quorum vtrumque est extra rationem, & conceptum alterius: alterum quando conceptus vnus includit conceptum alterius, sed addit aliquid peculiare, vt se habent species, ac genus, & hæc ait sola ratione distingui. Verum Henricus non statuit hæc duo membra tanquam distinctionis secundum rationem, sed secundum intentionem, quam contra diuidit à distinctione secundum rationem: neque ea, quorum vnum includit alterum in suo conceptu, non tamen ab eo vicissim includitur, ait distingui sola ratione, sed intentione, sola vero ratione ea, quæ nunquam possunt esse seiuncta, & ex natura rei distincta. Ea tamen, vt à me explicata, & assertur ab Henrico, & habet aliquod fundamentum in modo loquendi Auerr. & aliorum Antiquorum, qui intentionem in hac significatione interdum usurpant: si etiam per distinctionem per solam rationem intelligat eam, quæ non habet fundamentum in re, sed solum pendet ex modo concipiendi, defendi potest, quoniam, quæ ratione distinguuntur, alia id habent ex sola operatione intellectus, alia etiam ex fecunditate intelligibilitatis obiecti, & fundamentaliter distinctione. Verum, cum hæc etiam distinctio, quatenus actualis est, non nisi per rationem, sit, non est cur eam contraponamus actuali distinctioni rationis per solam rationem: quoniam actualitas cuiusvis distinctionis rationis entitatiuè pendet solum ex operatione intellectus, quamuis in obiecto præcedat eius fundamentum.

Quare

IV.

Quare, ut infra dicam, aptius leatur diu-
sio in communi in eam, quæ est à parte
rei, & eam, quæ per solam operationem
intellectus, & hæc rursus in eam, qua
habet fundamentum in re, quam Hen-
ricus appellat secundum intentionem:
& eam, quæ pendet ex solo modo concipi-
endi.

V. Contra eam tamen diuisionem est hæc
obiectio formæ analogicæ, siue etiam vni-
uocæ, in sua communi abstractione com-
paratæ habent aliquam distinctionem, non
realem, neque item solius rationis: ergo
cadit medium inter distinctionem realem
ac rationis. Maior propositio est euidens:
nam omne ens comparatum alteri vel est
idem, vel diuersum: rationes prædictæ pos-
sunt mutuo comparari, ut patet. quidquid
enim intelligibile est, potest comparari sub
terminis immediatis, quales sunt idem,
ac diuersum: & ita sapientia, & iustitia in
communi, animalitas, ac rationalitas, & si-
miles aliæ formæ in sua abstractione com-
paratæ, vel sunt omnino idem, vel habent
aliquem modum diuersitatis: non sunt au-
tem omnino idem, quia tunc essent syno-
nyma, quod est aperte falsum: ergo habent
aliquam distinctionem. Assumptio verò
ostenditur, quoniam distinctio, aut iden-
titas superiorum, transit ad inferiora sicut
vnitas, aut multitudo: nam si superius est
vnum analogice, genere, aut specie, etiam
inferiora talia sunt: si verò differt ab alio
analogice, genere, aut specie, etiam infe-
riora eodem modo differunt: at inferiora
sapientiæ, ac iustitiæ non necessario dif-
ferunt realiter, in Deo quippe identifi-
cantur: nec item necessario differunt so-
la ratione, nam sapientia, & iustitia creata
differunt ex natura rei: quare nulla ex his
conuenit illis formis in commune sum-
ptis: sed alia, quæ maneat in omnibus infe-
rioribus.

VI. Pro solutione obseruandum, dupliciter
intelligi posse, duo aliqua distingui sola
ratione, in primis ita, ut distinctio ea non
solum non sit actualis ex natura rei, sed
etiam excludat aptitudinem ad illam ra-
tione alicuius status eiusdem rei: ut se
habent species, ac differentia ipsius con-
stitutiuæ, in sententia negantium. Per eas
distinctionem actualem. repugnat enim
in aliquo statu distingui ex natura rei, de-
inde etiam quædam dicuntur sola ratione
distingui, quia habent actu distinctio-
nem per intellectum, actualem verò na-
tura rei nec includunt, nec excludunt: qua
ratione se habent omnia superiora, quæ
uarietate inferiorum, cum quibus identi-

ficantur, modo distinguuntur ab alijs sola
ratione, modo etiam realiter, ut videre est
in natura animalis comparata cum diffe-
rentijs contrahentibus. nam in Homine
non distinguitur realiter à rationali, à quo
tamen distinguitur in bruto.

Dico primum, inter distinctionem ex
natura rei, & distinctionem rationis pos-
teriori modo sumptam, non datur vl-
la distinctio actualis media. Patet ex
communi sententia Doctorum, vsurpan-
tium hanc diuisionem ut adæquatam:
iuxta sensum huius assertionis sunt in-
telligendi Doctores, qui prædicata ana-
logica communia Deo, & creaturis, a-
iunt distingui ratione: ita verò censet
Albert. in 1. distinct. 8. articul. 3. Bona-
uent. arti. 1. quæst. 1. ad vltimum. S. Tho-
mas distinct. 2. quæst. vn. artic. 2. & opusc. 9. quæst. 1. & alij communiter. Ratione
verò ostenditur, quoniam omnis distin-
ctio est secundum aliquod esse rei, quæ di-
stinguitur: omne verò esse actuale, aut est
à parte rei ante actum intellectus, aut co-
gnitum in mente: ergo omnis distinctio,
aut est realis, aut rationis: Patet conse-
quentia, nam si nec secundum esse obiecti-
uum rei in se, nec secundum esse intelle-
ctum in mente est vlla pluralitas, non est
vllum fundamentum distinctionis. Se-
cundò, omnis diuisio per oppositas diffe-
rentias, habentes annexam contradic-
tionem, est immediata: diuisio verò distin-
ctionis in actualem ex natura rei, & per so-
lam rationem ita se habet: ergo non habet
medium, & consequenter non est alia di-
stinctio præter eas duas. Maior est eui-
dēs, quoniam sicut autore Philosopho, in-
ter opposita contradictorie non cadit me-
dium, ita etiam non cadit inter ea, quæ ha-
bent contradic- tionē necessariò annexam,
ut inter corporeum, & incorporeum, ra-
tionale, & irrationale. Assumptio verò fa-
cilè constat, quoniam distinctio per solam
rationem inuoluit negationem distinctio-
nis secundum rem: idem enim est sola ra-
tione distingui, ac distingui ope solius in-
tellectus, & non ex natura rei. Cum ergo
repugnet aliquid distingui sola ratione, &
non sola ratione, ita repugnat distingui,
nec re, nec ratione sola.

Dico secundum, inter distinctionem
solius rationis priore modo sumptam, ac
distinctionem ex natura rei, datur media
distinctio. Hæc patet ex dictis, nam præ-
dicata analogica in commune sumpta ita
distinguuntur ratione, ut non exclu-
dant aptitudinem ad distinctionem ex na-
tura rei actualem, ut videre est in ratio-
ne fa-

VII.

Albertus.
Bonauent.
S. Thom.

VIII.

ne sapientiae, iustitiae, & similium communium Deo, & creaturis, nam praecise considerata dicunt rationes saltem per intellectum distinctas, non tamen includunt, aut non excludunt aptitudinalem, imò & actualem distinctionem ex natura rei. nam ratione inferiorum modo habent, modo non: sapientia enim, & iustitia creatae re ipsa distinguuntur, increatae vero sola ratione. At inquires, eadem argumenta, quibus assertio prior ostenditur, hanc impugnant: nam etiam distinctio rationis priore modo sumpta, fundatur in aliquo esse, & diuiditur ab actuali ex natura rei per differentias habentes annexam contradictoriam oppositionem. Nequaquam tamen haec argumenta similem in hac materia vim habent: nam ad distinctionem solius rationis priore modo sumptam non fat est, ut fundetur in esse rationis actuali, sed praeterea requiritur ut excludat multipliciter actualem ex natura rei, & ideo quia fieri potest, ut res pro aliquo statu, & consideratione habeat solum esse intellectum, & nihilominus secundum se sit capax multipliciter actualis ex natura rei, ex eo, quod esse adaequate diuidatur in reale, & intentionale, non recte colligitur, non dari medium inter distinctionem solius rationis priore modo sumptam, & distinctionem ex natura rei; quoniam rationes aliquae obiectivae ita sunt capaces multipliciter, ac distinctionis secundum esse intentionale, ut admittant etiam multipliciter secundum esse reale: eodemque modo eluditur vis secundum fundamenti, quando quidem distinctio solius rationis priore modo accepta, non habet oppositionem contradictoriam cum distinctione actuali ex natura rei, fundamentaliter in ordine ad subiecta denominata, quamuis habeat formaliter: quoniam ipsa non est distinctio ex natura rei, potest tamen inter utramque dari medium, nempe distinctio rationis posteriori modo accepta.

IX.

Dico tertium: haec distinctio rationis cum in differentia ad realem solis naturis communibus conuenit, non singularibus. Patet ex dictis, & facile ostenditur, quoniam indeterminatio ad distinctionem realem, vel rationis, supponit indeterminatorem ad multipliciter secundum esse reale: vel rationis: in nulla verò re singulari est eiusmodi indifferentia, sed solum in naturis communibus: ergo his solis compe-

tit haec distinctio media. Maior est evidens, quoniam subiectum, quod non est indeterminatum ad fundamentum proximum relationis, non est indeterminatum ad relationem. Assumptio quoque patet, nam res singularis ex se ipsa habet determinationem, & unitatem ultimo determinatam, nec amplius determinabilem ad aliquod esse: quare est incapax indifferentiae ad multipliciter secundum aliud esse ab eo, quod habet: & ideo si duae singulares perfectiones distinguuntur re ipsa, impossibile est, ut distinguantur per solum intellectum: contra verò, si solam distinctionem per intellectum sortiuntur, repugnat ut realem admittant: rationes verò communes propter suam indeterminatorem, & communitatem pro varietate eorum, ad quae ultimo determinantur, sunt utriusque capaces, ut constat ex propositis exemplis.

Ex dictis facile soluitur ratio dubitandi proposita. concedenda quippe est maior propositio, & distinguenda assumptio: quoniam rationes communes analogicae habent quidem distinctionem aliquam actualem, non realem, non item rationis priore, sed posteriore modo sumptam. Ex quo non colligitur, absolute dari medium inter distinctionem rationis, & ex natura rei, quandoquidem ipsa distinctio rationis posteriore modo accepta, distinctio rationis est: recte tamen inferitur, dari medium inter distinctionem ex natura rei, & rationis priore modo sumptam: ut patet ex dictis. Ad confirmationem assumptionis respondeo, naturis communibus quaedam conuenire etiam necessarium aliquo statu, vel consideratione, quae non conueniunt inferioribus, ut indifferentia ad oppositas differentias, quas genus nec includit, nec excludit, & tamen species necessario vendicant determinate aliquam ipsarum: & hoc modo distinctio illa secundum rationes formales non excludens, aut includens distinctionem ex natura rei, aut rationis, praese sumptam, conuenit naturis communibus, quatenus praescindunt ab inferioribus: ideoque mirum non est, si his non conueniat. Verum enim uero cum illa distinctio duo habeat, scilicet diuersitatem rationum formalium, & indifferentiam ad distinctionem ex natura rei, & eius priuationem, quoad primum semper manet in inferioribus: nam quoties natura superior distinguitur secundum rationes formales,

secundum

secundum eas etiam distinguuntur inferiora: quo ad secundum verò nequaquam, singularia enim sunt quo ad id determinata.

XI. Ex alio capite est dubium circa eandem materiam: nam distinctio virtualis, quam multi Autores admittunt, nec est distinctio ex natura rei, nec secundum rationem. non secundum rationem, quoniam cum est actu per operationem intellectus, iam est actualis, non virtualis: non ex natura rei, quoniam hæc fundatur in multiplicitate actuali, quam in obiecto à parte rei indistincto, negant etiam ipsimet Autores distinctionis virtualis. Vt hoc dubium explicetur, obseruandum est, Doctores ante distinctionem actualem perfectionum diuinarum agnoscere quandam, quam aliqui vocant virtualem, vt Henric. quodlib. 13. quæst. 1. Durandus in 1. dist. 2. quæst. 3. numero decimo quinto, & alij referendi capit. octauo: alij fundamentalem, vt Henric. in summ. articul. 51. quæst. 3. ad primum. Durand. loco citato. Aegid. in 1. dist. 2. prima parte distinctionis, quæst. 3. articul. 1. Capreol. dist. 8. quæst. 4. articul. 2. ad decimum quintum, contra primam conclusionem. Caietan. de ente, & essentia, quæst. 12. Ferrar. lib. 1. contra Gentes, cap. 35. §. Vnde si quæritur. Torri. 1. p. quæst. 28. articul. 2. dist. secunda, part. prima, versus finem: & Clypeus Thomistarum quæst. 10. in Porphyrium artic. 1. ad tertium, contra secundam conclusionem. Alij potentialem, vel aptitudinalem, vt Henric. in sum. articul. 51. quæst. prima, litera F. quæst. 3. in corpore, & quodlib. 5. quæst. prima, litera R. Capreol. Clypeus, & Torri. vbi proxime. Alij radicalem, vt Henric. in sum. q. 1. citat. & Capreol. vbi supra. Alij tandem originalem, vt Henric. in sum. art. 51. quæst. 2. litera S. & quæst. 3. in corpore, & Syluest. in conslat. quæst. 13. art. 7. §. 2. & 8. in fine. Obseruandum, deinde est ex Toletan. in 1. dist. 8. q. vn. articul. 2. conclusionem 4. & Clypei vbi supra, distinctionem virtualem ad duo habere ordinem: nempe ad res alias actus plures, quæ virtute, & eminenter continentur in vna actu indiuisa, & virtute distincta, & ad intellectum, cuius operatione distinguuntur actu, & ratione prioris comparisonis dicuntur virtute distingui, quia scilicet ratione suæ entitatis, & perfectionis adæquatæ æquipollent pluribus re ipsa, & actu distinctis: ratione verò huius æqui-

pollentiæ habent quandam cognoscibilitatem obiectiuam, qua possunt determinare intellectum, vt de ipsis formet plures conceptus non synonymos, quorum singulis non minus perfectionis respondebit ex parte obiecti, quam respondeat alijs re ipsa distinctis: exempli causa vis cognoscendi, quæ per plures sensus est actu diuisa, vnice continetur in intellectu, ita vt hic vnica sua entitate æquipollet omnibus, ac singulis sensibus: ratione cuius continentia virtualis mens nostra potest de eodem intellectu formare plures conceptus non fictos, & inanes, sed habentes fundamentum in re, quibus illum modo apprehendat, vt cognoscituum colorum, modo sonorum, & sic de cæteris: & ita concipitur à Patribus, ac Doctoribus, quâdo per metaphoram appellant visum, & auditum spiritualem, non quod vis ipsa sensitua in sit intellectu, sed quia is vnica sua virtute his, & alijs sensibus æquipollet.

Ex dictis perspicua manet explicatio propositi dubij. etenim quando Autores distinctionem adæquate secant in realem, ac rationis, loquuntur de actuali: nam, quæ solum potentia talia sunt, non contra diuiduntur ab ijs, quæ sunt actu, sed in eadem cum ipsis specie continentur. idem enim est Homo consideratus secundum potentiam, & secundum actum. Quæ de causa non opus fuit distinctionis virtualis meminisse, quasi partis subiectiue distinctæ à reali, & rationis: quandoquidem pertinet ad distinctionem rationis: & ideo ab Autoribus indifferenter appellatur modo distinctio rationis, modo virtualis. nam quando actu per intellectum distinguuntur ratione illa, quæ sunt à parte rei indistincta, & distincta virtute, non aduenit distinctio alia ab ea, quæ erat potentia in obiecto: sed ea ipsa reducitur ad actum: ex quo fit, vt obiectum indistinctum actu secundum esse reale, distinguatur actu secundum esse intellectum: & ita patet solutio ad rationem dubitandi. quamuis enim, cum res distinguuntur per intellectum, sit distinctio actualis secundum rationem, hæc non est alia secundum speciem à distinctione virtuali, sed solum est actu ipsamet, quæ erat potentia. Est etiam alius dicendi modus nimirum, si distinctio in communi diuidatur, primum in actualem, & virtutalem: deinde actualis in realem, & rationis, vel in distinctionem ex natura rei, & secundum rationem, & rursus distinctio ex natura rei in actualem, & virtualem.

Nam

XII.

Nam hæc quatenus virtualis est, conuenit ante operationem intellectus. nam cum fundetur in entitate, & perfectione rei, & intelligibilitate obiectiua ipsius, quæ duo præcedunt actuale operationem intellectus, verè ante illam conuenit ex natura rei ante actum mentis, vt plerique Autores admittunt.

Diuiditur distinctio rationis in distinctionem rationis ratiocinantæ, & ratiocinantis.

CAPVT IV.

I. **D**istinctio rationis, quam superiore capite contraposui distinctioni ex natura rei, non vno modo dicitur, sed in plures adhuc secatur. Maximè celebris diuisio apud Autores est illa, quæ distinctio rationis partitur in distinctionem rationis ratiocinantis, ac ratiocinatæ. Quamuis autem nonnulli apud Carthusianum in 1. d. 2. q. 2. post sententiam Alberti hanc diuisionem ita explicant, vt secundum eius membrum intelligant de distinctione ex natura rei, secundum aliquas rationes formales non distinctas realiter, quæ à Scoto, & sequacibus appellatur distinctio formalis, nihilominus hæc acceptio pertinet ad distinctionem ex natura rei, & ideo eius significatum, non potest constitui membrum distinctionis rationis contra diuisiã ab actuali ex natura rei, hoc enim membrum diuidens debet pertinere ad distinctionem rationis confurgentem ex operatione intellectus. Et in hoc sensu traditur hæc diuisio à Carthusiano vbi supra, Tolera. in d. 1. d. 8. q. vn. art. 4. ad primum contra solutionem primi argumenti Ochami, cõtra Collarium quartæ cõclusionis, Clyp. Thomistar. qu. 10. in Porphyrium, art. 1. ad 3. contra secundam Conclusionem. Chrysostom. Iauell. 12. Metaph. q. 19. Molina 1. p. q. 28. art. 2. d. 3. conclusionem 1. Fons. lib. 5. Metaph. cap. 6. q. 6. f. 3. & alijs recentioribus: & aperte desumitur ex Sancto Thoma in 1. d. 2. q. vn. ar. 2. in corpore, & opuscul. 72. in respons. ad 4. quæstionem, distinctio rationis ratiocinantis oritur præcisè ex nostro modo concipiendi, absque alio fundamento in re ipsa, distinctio vero ratiocinantis ratiocinatæ habet etiam fundamentum in re, quod autem illud sit, inferius explicabitur.

II. Verum contra hanc diuisionem obijciunt aliqui recentiores, primum quidem,

quoniam distinctio rationis ratiocinantis non est distinctio obiecti, sed nominis: v. g. cum dicimus, Petrus est Petrus, & ipsum comparamus in ratione prædicati, & subiecti, distinctio nõ attingit ipsum Petrum, sed nomen, non quia sit diuersum à parte prædicati, & subiecti, sed quia idem bis repetitur, ex quo prouenit, vt Petrus bis concipiatur, quod non est distinguere, sed in cognitione nostra, ac voce iterari. Deinde contra discrimen vtriusque distinctionis obijciunt, quoniam omnis distinctio rationis habet fundamentum in re. Id verò probat, quoniam obiecta ratione distincta, præcisè ab omni respectu ad alia ex natura rei distincta, non habent in se ipsis fundamentum vllum distinctionis, sed solum in alijs, ex quorum similitudine concipiuntur vt distincta: sic autem respectus tam requiritur in distinctione, quæ dicitur rationis ratiocinantis, quam in ea, quæ dicitur rationis ratiocinatæ: nam relationem generis, ac differentie non distingueremus per intellectum, nisi videremus plura inter se ex parte conuenire, ex parte differre, item cum idem prædicatur de se ipso, distinctio eiusmodi existit per ordinem ad diuersa realiter: contra verò, nunquam ex parte ipsius obiecti est causa distinctionis secundum rationem: nam illud ex natura rei est vnum, atque indistinctum: atque adeo quando cognoscitur, sicuti est vnico tantum conceptu attingitur, & solum terminat plures conceptus, quando intellectus ob suam infirmitatem non potest vnico actu illud perfectè apprehendere: Huius sententiæ videtur esse Hervæus quodlib. 3. q. 3. art. 2. 3. & 4. & Durand. in 1. d. 2. qu. 3. num. 15. 20. & 23. quatenus dicunt omnem distinctionem rationis habere fundamentum pluralitatis rationum. Palatius verò in 1. d. 2. disputat. 2. idem opinatur ex alio fundamento, nimirum quoniam obiectum cognitum duobus conceptibus synonymis, quatenus ita concipitur, & a ratione differt à se ipso: & tamen habet fundamentum in re, quoniam vtrique respondet ratio obiectiua realis, de qua vterque verificatur.

Quod attinet ad primum fundamentum, re. Anteriorum communis est sententia Doctorum, non solum conceptus synonymos, sed etiam per ipsos obiectum ratione distinguere. Ita expressè asserunt S. Thomas 1. p. q. 13. art. 12. Durand. in 1. d. 2. q. 3. num. 20. Bachon. q. 2. art. 4. Capreol. d. 8. q. 4. art. 2. ad 8. Godofredi contra 2. conclusionem. Mayron. tract. formalitatum a. 2. §. Circa quod. Clypeus Thomistarum q. 10. in

Porphy-

Carthuf.

Carthusian.
Toletan.

Clypeus.

Iauellus.

Molin.

Fons. lib. 5.

Metaph. cap. 6.

S. Thom.

Hervæus.

Durand.

Palatius.

III.

S. Thom.

Durand.

Bachon.

Capreol.

Mayron.

Clypeus.

Porphyrus art. 1. ad 3. contra 2. conclusionem. Iauellus 13. Metaph. q. 19. Soncin. 4. Metaph. q. 29. 1. & 2. conclusionem. Sotus q. 5. de vniuersal. art. 2. Molina 1. p. q. 28. art. 2. ad 3. Fundamentum est, quoniam distinctio rationis consistit in eo, quod idem distinguitur à se ipso secundum esse intellectum, & quo vnum cum sit, utitur ut pluribus, ut loquitur Aristotel. lib. 3. Metaph. 1. 1. at verò conceptus synonymi in predicatione identica re ipsa sunt plures: atque adeo non potest ipsis ascribi distinctio rationis: item intellectus cum ita comparat prædicatum subiecto, non utitur conceptu mentali vno, ut pluribus, sed obiecto intellecto. ita enim rem significatam ipsi met attribuit quasi esset altera; & ideo obiectum, quod est vnum, secundum esse reale, multiplex verò secundum esse intellectum, verè dici potest distingui ratione, quoniam idemmet substat diuersis intentionibus rationis, quod non conuenit nomini, aut conceptui: nam re ipsa multiplicatur. itaque distinctio illa conceptuum extrinsecè attingit obiectum, quod, vnum cum sit, representatur ut duo, & habet multiplex esse intellectum, ratione cuius terminat diuersas habitudines sui ad seipsum: quod fieri non potest nisi intersit aliqua distinctio: omnis enim habitudo etiam rationis exigit aliquam distinctionem in extremis.

IV. Quod attinet ad secundum fundamentum, ex parte obiecti, ut foriatur distinctio rationis, aut potest esse sola aptitudo, ut concipiatur per modum plurium conceptibus, siue synonymis, siue non synonymis: aut formalis ratio obiectiua ratione suæ entitatis indiuisæ, apta nata terminare conceptus plures non synonymos, ac si esset diuisa, ac plures ex natura rei. Priore modo est fundamentum distinctionis in quouis obiecto distinctionis secundum rationem, ut rectè obseruat Aletia. ubi suprà. Ratio est quoniam omnis intellectio, ac distinctio actualis supponit aptitudinem: atque adeo si obiectum vni re concipitur pluribus conceptibus synonymis, aut non synonymis, necessariò præcedit aptitudo, ut ita concipiatur. Verum Doctores non cessant de hoc fundamento, quoniam loquuntur de fundamento, quod ingreditur significatum obiecti, ratione distincti, at hæc aptitudo adest quidem obiecto, sed non ingreditur eius significatum.

V. Ut verò innotescat ratio fundamenti posteriore modo accepti, notandum est,

aliud esse querere fundamentum obiectiui cuiusvis rationis formalis, siue notitiæ mentalis, & aliud fundamentum pluralitatis earundem rationum. Nam, ut rectè docet AEgid. in 1. d. 1. p. distinctionis quæst. 3. art. 1. possunt esse plures notitiæ mentales synonymæ, quæ omnes habeant vere fundamentum in re, quoniam singulis repondet ens firmum, ac ratum à parte rei, & tamen pluralitas ipsarum non habet fundamentum in re, sed in sola operatione intellectus: contra verò fieri potest, ut pluralitas habeat fundamentum in re, quia tamen rationes, quæ dicuntur plures, illud non habent, propterea distinctio per illas constituta est rationis ratiocinantis, non ratiocinatæ. Exempli causa, quod Homo diuersimode substat intentioni speciei prædicabilis, ac subijcibilis, habet remote ex natura humana secundum se: verum quia rationes speciei prædicabilis, ac subijcibilis singillatim sumptæ, non habent ex parte obiecti significati fundamentum in re, non enim à parte rei habet natura humana formaliter aliquid, quo constituatur in ratione speciei prædicabilis, aut subijcibilis: idcirco distinctio Hominis, quatenus est species prædicabilis à se ipso, quatenus est species subijcibilis, non est distinctio rationis ratiocinatæ, sed ratiocinantis: idemque dicendum, quoties rationes obiectiue, quibus obiectum idem re distinguitur à se ipso, non sunt à parte rei in ipso obiecto significato.

Cum itaque ad fundamentum distinctionis, secundum rationem ratiocinatam requiratur fundamentum obiectiui entitatum, & radix pluralitatis rationum diuersarum, primum explicare oportet, quænam rationes formales habeant fundamentum obiectiui in re, & quæ non habeant. Dicendum cum Sancto Thoma in 1. distinct. 2. quæst. vn. S. Thom. artic. 3. in secunda eius parte, conceptionem intellectus tripliciter se habere ad rem, quæ est extra animam. aliquando enim est similitudo rei existentis extra animam, sicut conceptio Hominis, & hæc habet fundamentum in re immediate in quantum res ipsa ex sua conformatione ad intellectum facit, ut is sit verus, & ut nomen, quod eam conceptionem significat, propriè de re dicatur: aliquando verò non est similitudo rei existentis extra animam, sed aliquid, quod consequitur ex modo intelligendi rem, quæ est extra animam: cuiusmodi sunt intentiones, quas intellectus ad in-

VI.

uenit, sicut significatum huius nominis, genus, non est similitudo alicuius rei extra animam existentis: sed ex hoc, quod intellectus concipit animal, vt in pluribus speciebus, attribuit ei intentionem generis, cuius intentionis fundamentum proximum non est in re, sed in intellectu, remotum tamen est in re. Aliquando tandem id, quod significatur nomine, non habet vllum fundamentum in re, neque proximum, neque remotum: quia neque est similitudo rei existentis extra animam, neque consequitur ex modo illam intelligendi, vt chimæra, & similia figmenta, ex qua doctrina constat illas rationes formales habere fundamentum obiectiuum à parte rei, quibus respondent rationes obiectiue reales, illas verò nequaquam, quibus respondent, quantumcunque rebus veris conueniant.

VII.

Explicato fundamento obiectiuo cuiusvis rationis formalis, sequitur vt indagetur radix obiectiua pluralitatis earundem rationum: ea verò, vt notant Doctores citati numero 1. est intelligibilitas obiectiua, apta nata terminare plures conceptus non synonymos, ita vt vna, eademque res, ex natura rei indiuisa fecunditate suæ intelligibilitatis respondeat pluribus rationibus formalibus non minus, quam si iisdem responderent duo obiecta reipsa diuersa, singula sub vna tantum ratione formali obiectiua: qua ratione se habet intelligibilitas obiectiua hominis. potest enim apprehendi modo quatenus animal, modo quatenus rationalis, quæ duæ rationes obiectiue iuxta probabilem multorum opinionem sola ratione distinguuntur, & nihilominus conceptus formales ipsarum habent in Homine tam adæquatum obiectum, cum seorsim concipiuntur, ac habent, quando concipimus rationem animalitatis in bruto, & rationalitatem in Homine, in quibus re ipsa distinguuntur. Aliqui, inter quos est Toletus, vbi supra, recurrunt ad necessitatem, quoniam, quæ ita habent fundamentum in re, & æquipollent distinctis ex natura rei, necessitant intellectum ad conceptus essentialiter distinctos. Quam doctrinam nonnulli recentiores impugnant, quoniam intellectus noster nunquam distinguit plures rationes in eadem re, nisi quando non cognoscit rem perfectè sicuti est: atque adeo obiectiua cognoscibilitas ipsius non necessariò cogit intel-

lectum, vt ipsam distinctis conceptibus apprehendat: quæ redargutio, si intelligatur de rationibus formalibus, vt nunc loquimur, conuincit quidem intelligibilitatem obiectiuam non semper necessitare intellectum, vt in ipsam distinctis notitijs feratur, non tamen concludit nunquam absolute necessitare: maximè quando res perfecta attingitur modo imperfecto, & inadæquate: tunc enim si intellectus adæquari aliquo modo debeat intelligibilitati obiectiue, necessitatur ad formandos plures conceptus, quibus coniunctis attingat totum id, quod vnico simplici, & inadæquato non poterat, quomodo, vt infra ex Diuo Thoma, & alijs ostendam, ex eminentia intelligibilitatis diuinæ, & imperfectione intellectus prouenit, vt in via necessariò habeamus plures conceptus perfectionum diuinarum, quas vnico conceptu distincte simul apprehendere nequimus. Itaque necessitas hæc obiectiua consistit in hoc, vt cum quis format vnum conceptum inadæquatum rei, habentis plures rationes obiectiuas cum fundamento in re, si alias percipere debeat, necessariò etiam sit habiturus alium, vel plures conceptus formales non synonymos, quibus adæquet intelligibilitatem obiectiuam rei: at quando sola est distinctio penes apprehensiones ipsas sine fundamento in re, intelligibilitas obiectiua ad adæquatam perceptionem sui non exigit puram repetitionem eiusdem conceptus. non enim propterea ex parte obiecti magis attingitur, quamvis ex parte intellectus pluribus conceptibus synonymis attingatur.

VIII.

His præmissis dicendum est, propositam diuisionem distinctionis rationis esse optimam. Patet quoniam omnis distinctio rationis vel habet fundamentum obiectiuum, plurium rationum mentalium formaliter differentium, vel non: si habet, est distinctio rationis ratiocinata: si non habet, est distinctio solius rationis ratiocinantis. Notandum verò eiusmodi fundamentum non debere esse solum per modum subiecti denominati, sed per modum obiecti significati. Non enim ex subiecto denominationis sumitur hic ratio fundamentalis obiectiua plurium rationum formalium, quandoquidem entitas subiecti denominati non arguit multiplicem rationem obiectiuam formæ, & ideo quamvis entia rationis denominant subiecta realia, non proinde distinctione

Toletus.

distinctio

distinctio secundum entia rationis habet fundamentum obiectiuum in re: nam cum Socrates predicatur de se ipso, & quatenus subiectum differt ratione à se ipso, quatenus predicatum, distinctio est tantum rationis ratiocinantis: est verò fundamentum per modum obiecti significati, quando nominibus significantibus rationes formales distinctas, respondet intelligibilitas obiectiua: vt cum Socratem concipimus, substantiam sententiam rationalem, hi tres conceptus re, ac ratione diuersi, habent suum proprium significatum in Socrate. Ex quo etiam principio constat, nihil ad hoc facere fundamentum distinctionis respectiuum, nisi inuoluatur obiectiuum: exempli gratia, quia solemus formas ex natura rei distinctas predicare de subiectis, cum predicamus idem de se ipso, idque concipimus per modum plurium suapte natura distinctorum, quorum vnum de altero predicamus, non datur fundamentum multiplicis obiectiuum; hoc est significatum per ipsa nomina, vel conceptus, sed respectiuum, quia ad similitudinem distinctorum concipimus non distincta: quod fundamentum potest esse commune omni distinctioni rationis, ideoque non sufficit ad distinctionem rationis ratiocinatæ, ad quam requiritur vt rationes obiectiue, sub quibus res suapte natura diuisa multipliciter concipitur, sint à parte rei in obiecto significato.

IX. Ad primum argumentum oppositæ sententiæ respondetur, cum idem predicatur de se ipso, idem distinguere à se, non secundum esse reale, sed secundum esse cognitum, quod est multiplex in mente, vt iam declaratum est. Ad secundum respondetur, cum eorum, quæ ratione distinguuntur, quædam dicuntur habere fundamentum in re, quædam non, nomine fundamentum non intelligi solum obiectiuum, aut extrinsecum, hoc est non fat esse, vt connotent subiectum reale, cui conueniant, aut extremum, quod recipiant: nam fieri potest, vt entia rationis hæc vendicent, sed requiri in primis, vt formaliter significant aliquam rem: deinde verò, vt eadem res possit concipi sub connotatione, aut habitudine ad plura actu distincta; quod quia non conuenit relationi generis, ac differentie, quamuis connotarent obiecta distincta ex natura rei, non proinde haberent in re fundamentum propriæ distinctionis: item quando concipitur ob-

iectum suapte natura indistinctum sub habitudine identitatis ad se ipsum, quamuis concipiat per modum plurium, quæ solemus distinctis conceptibus apprehendere, tamen obiectum ipsum duobus illis conceptibus synonymis intellectum, non habet habitudinem, aut connotationem ad illa plura: ob eam causam distinctio rationis reperta in conceptibus synonymis, non habet fundamentum in re obiectiuum, quod consistit in intelligibilitate rei suapte natura indistinctæ, quæ adeo secunda est, vt sit apta terminare plures conceptus, quorum cuilibet respondet propria ratio formalis, non quidem distincta actu in re, sed solum virtute, ac potentia: quomodo non omnis distinctio rationis supponit fundamentum in re: nam cum diuersi conceptus non sunt similes in representatione obiectiua, sed solum in modo aliquo representationis, aut penes habitudinem aliquam, sub qua inuicem comparantur rationes, penes quas est distinctio, non sunt in obiecto, sed solum in intellectu: & ideo distinctio eiusmodi non habet fundamentum in ipsa re, quæ dicitur distincta secundum esse intellectum: Distinctio verò respectiua, per comparisonem ad alia actu distincta, nisi sit per equipollentiam vnius ad plura, non habet fundamentum in ipso obiecto, vt patet ex dictis: & proinde, licet omnis distinctio rationis eam possit habere, non propterea omnis dici debet habere fundamentum in re. Ad id verò, quo probatur non esse aliud fundamentum ex parte obiecti, respondetur, quamuis noster intellectus tunc solum distinguat plura in obiecto, quando non cognoscit illud sicuti est, de quo potest esse controuersia, tamen non proinde sequi, eam distinctionem esse solius rationis ratiocinantis absque fundamento in re, namque nisi obiectum haberet talem intelligibilitatem, vt intellectus imperfectus possit illud inadæquate concipere per plures conceptus, haud quaquam formarentur ab illo plures conceptiones mentales. nam si intellectus comparatus cum diuersis obiectis possit apprehendere vnum sub diuersis rationibus, non verò alterum, causa huius diuersitatis omnimoda non potest referri in solum intellectum, & ideo sumenda est etiam ex parte obiecti. Quædam verò obiecta concipi nequeunt sub pluribus rationibus, alia verò possunt, & ita ratio huius multiplicis secundum rationem habet fundamentum in re. Ad fundamentum Palatii patet ex dictis, quando aliquid distinguitur à se ipso per conce-

ceptus synonymos dari quidem fundamentum obiectuum à parte rei, quod ipsis respondeat: non tamen quod sit radix pluralitatis ipsorum, quod etiam requiritur ad distinctionem, quæ dicitur habere fundamentum in re.

Explicantur aliæ diuisiones distinctionis rationis.

CAPVT V.

I. **D**Vo genera distinctionis secundum rationem proximo capite explicata, habent adhuc varios modos, quos explicare oportet, vt, cum ad diuina ventum fuerit, non opus sit immorari ijs explicandis. In primis autem distinctio rationis ratiocinantis reperitur, quoties obiectum sub diuersis conceptibus synonymis substat pluribus secundis intentionibus: verbi gratia, prædicati, subiecti, medij termini, ac similium: de quo non est vlla controuersia. Verum potest dubitari, vtrum sit alius modus distinctionis secundum rationem ratiocinantis. Ratio dubitandi est, quoniam, quæcunque differunt solum penes modum significandi, & concipiendi absque fundamento in re, differunt sola ratione ratiocinante: hoc autem modo differunt plura alia, quam ea, quæ apprehenduntur conceptibus synonymis. Contra verò facit quoniam, vbi conceptus non sunt synonymi ex parte obiecti significati, per vnum inuoluitur aliqua ratio obiectiua, quæ non significatur per alium: hoc autem sufficit ad distinctionem rationis ratiocinatæ: quare in solis conceptibus synonymis est distinctio rationis ratiocinantis.

II. Pro fundamento supponendum est, quando distinctio fundatur solum in modo concipiendi absque fundamento diuersæ intelligibilitatis obiectiue saltem virtualis, dari solam distinctionem rationis ratiocinantis. De duobus verò conceptuum complicationibus potest esse dubitatio, vtrum hoc, vel illo modo differant, nempe si comparentur abstracta cum concretis, distinctio cum diffinito. Vt à definitione incipiam, præmitto de sententiâ Diui Thomæ in 1. d. 22. q. vn. art. 1. ad 2. diffinitionem esse nomen intentionis, & rei: nomen intentionis est, cum sumitur pro conceptu distincto quidditati-

S. Thom.

uo, & adæquato diffiniti: nomen vero rei, cum sumitur pro significato ipsius diffinitionis vocalis, aut mentalis. De diffinitione quatenus est intentio, non est vlla dubitatio, differt enim re à definito, etiam si secundum esse intentionale sit idem, quod definitum secundum esse reale: hoc est, quamuis sit adæquatum signū definiti. De ipsa, quatenus res est, potest esse difficultas: verum quia eadem est ratio de re, & de signo sub ratione signi, non curabo hanc distinctionem, sed indifferenter loquar de diffinitione, siue pro signo, siue pro re sumpta, ea vero alia est perfecta, alia imperfecta: illa distinctè attingit omnes partes, siue gradus tam actuales, quam virtuales definiti: hæc verò nequaquam, sed omittit aliquos, quia traditur per genus remotum, ac differentiam propriam. De hac secunda non est vlla dubitandi ratio, cum enim non attingat omnem intelligibilitatem obiectiuam definiti, & non significet aliquam rationem entitatiuam, quæ licet confusè, significatur tamen nomine definiti, necessario differt ab illo ratione ratiocinata: ad quod satis est, vt vnum extremum non includat rationem, quam aliud includit. Diffinitio autem perfecta attingit omnes omnino rationes definiti, sed diuerso modo. nam conceptus diffiniti, vtpotè confusus, attingit omnes indistincte: at verò diffinitio mentalis distincte, & quasi per partes, adunatas tamen in toto: rectè enim probat Diuus Thomas loco citato, s. Thom. terminos diffinitionis non significari per modum partium, ideoque non sumi in abstracto, sed per modum totius: itaque si velimus terminationem horum conceptuum subtiliter indagare, comperiemus conceptum confusum definiti per se, & explicite primo terminari ad totum, ad partes autem implicite, & quasi secundo, conceptum verò diffinitiuum per se primo ad partes, vltimo ad totum ex partibus conflatum.

III. Hoc posito probatur diffinitionem, ac diffinitum, non distingui sola ratione ratiocinante. primò, quoniam vt ait Philosophus lib. vndecimo, Metaphys. cap. 6. diffinitio est medium potissimæ demonstrationis. ad hoc autem non sufficit sola distinctio rationis ratiocinantis inter ipsum, & minus extremum, quod est diffinitum: ergò erit distinctio rationis ratiocinatæ. Assumptio pater, quoniam medium debet continere rationem obiectiuam, propter quam passio conueniat minori

III.

Aristotel.

nori extremo: ubi vero est sola distinctio rationis ratiocinantis, non est ratio obiectiua habens fundamentum in re, ut patet ex dictis: quare ad rationem medij termini non est distinctio rationis ratiocinantis. Secundò diffinitum est, gradus aliquis metaphysicus distinctus à gradibus, ex quibus coalescit diffinitio: alius enim gradus est species, alij verò genus, ac differentia, ex quibus constat diffinitio: omnis autem gradus distinguitur ab alio saltem ratione ratiocinata: ergò diffinitum, ac definitio hoc ipso distinguuntur, & non sola ratione ratiocinante.

IV. Quod verò attinet ad concreta, & abstracta, distingui solum penes rationem ratiocinantem, videtur sentire Caietanus 1. part. quæst. 40. articul. secundo §. *Circa differentiam*, ubi constituit duo genera eorum, quæ distinguuntur penes modum significandi, vnum penes modum significandi grammaticaliter, qui habet se tantum ex parte nominis, aut conceptus significantis: alterum penes modum significandi metaphysice, qui se habet ex parte rei significatæ, ita ut plures illius modi, sint plures rationes obiectiue eiusdem rei: & modum abstracti nominis, & concreti refert ad modum significandi, qui solum se habet ex parte intellectus sine fundamento obiectiuo in re: atque adeò inter illa est solum distinctio penes rationem ratiocinantem; probatur autem, quoniam non est in re ulla ratio obiectiua significata concrete, quæ non significetur nomine abstracto: atque adeò conceptus solummodo diuersi penes concretum, & abstractum, non habent fundamentum in re, sed in solo modo concipiendi. Antecedens suadetur, quoniam ratio obiectiua est forma, seu quasi forma rei, cuius est ratio: significatum vero nominis abstracti est forma, seu quasi forma significati per concretum: nam interroganti, quænam sit ratio, seu forma, aut quasi forma adæquata hominis, vel albi, apte respondebitur, quod sit humanitas, vel albedo.

V. Capreol. in 1. distinct. 4. quæst. art. 3. ad quintum. Aureoli contra secundam conclusionem, exilimant eandem esse rationem inter diffinitionem, ac diffinitum, ac est inter concretum, & abstractum: at enim diffinitionem, ac diffinitum in actu, & explicite significare idem, sed diffinitum posse significare aliquid implicite, quod diffinitio nullo modo signi-

ficet. At verò abstractum significare omnino idem, quod definitio concreti. Ad hoc autem adducit dictum Diui Thomæ opuscul. 69. super Boetium de hebdom. alferentis, abstracta non habere in se aliquid extraneum, nempe quod sit præter essentiam, quia scilicet forma in abstracto significatur, ut quo aliquid est, concreta verò significantur, ut habentia formas, quibus constituuntur. Ex eo verò, quod subiectum habeat vnā formam, non est incapax alterius, nisi sit opposita ei, quam habet: & idcirco concreta: verbi gratia homo, & album, possunt habere alias formas præter eas, quibus constituuntur, sicut homo potest esse iustus, ac sapiens, album potest esse dulce, aut odoratum. Verum Capreol. in hac re non est assecutus mentem Diui Thomæ: nam cum abstractum significetur per modum partitis, ut ibidem docet Sanctus Doctor, & admittit idem Capreol. in solutione ad primum, diffinitio autem significetur per modum totius, ut docet Diuus Thomas in 1. loco citato, & consequenter tradatur per nomina concreta in recto, licet in obliquo admittat abstracta, fieri non potest, ut idem prorsus significetur per diffinitionem, & per nomen abstractum definiti. Quod verò non sit eadem ratio inter diffinitum, & diffinitionem, abstractum, & concretum, patebit ex dicendis.

Dicendum nihilominus, inter diffinitionem, ac diffinitum, non esse aliam distinctionem, quam rationis ratiocinantis. Indicat Henric. in sum. art. 27. quæst. 1. littera M. suadetur verò, quoniam diffinitio, ut notat Diuus Thomas ubi proxime, non significat solum partes, ut partes, sed per modum totius, ita ut significet ipsum totum, cum distinctione partium, vel partes ut vnitas, ac terminatas in ratione totius: sed totum distincte cognitum non includit aliquam rationem obiectiuam, quam non includat idem confusè cognitum: ergò diffinitio, ac diffinitum, non habent distinctionem rationis ratiocinatæ. Patet consequentia ex dictis cap. prox. Assumptio ostenditur, quoniam totum, vel non est aliud quam partes simul sumptæ, ut quidam opinantur, vel addit partibus ipsam sui esse integritatem: si non sit aliud, quam partes simul sumptæ, perspicuum est nullam rationem obiectiuam contineri diffinito, quæ non contineatur diffinitione: si vero sit aliud, hoc ipsum necessario includit ac significat diffinitio, alioquin non est simpliciter cognitio distincta totius,

S. Thom.

S. Thom.
Capreol.

VI.

Henricus.

S. Thomas.

cum non attingat id, quo per se primo, & complete totum constituitur in suo esse. Secundò, Deus Optimus Maximus nihil agnoscit confusè: ergò conceptui confuso definiti non respondet aliqua ratio obiectiua, quæ non attingatur conceptu diffinitiuo. Patet consequentia, quoniam Deum non latet vlla ratio obiectiua cognoscibilitatis: quare si solam habet notitiam definitiuam, seu quasi definitiuam obiecti, non restat vlla ratio obiectiua cognoscibilis conceptu confuso, quæ non attingatur conceptu diffinitiuo. Antecedens verò est euidens, quoniam Deus agnoscit omnia comprehensiuè: cognitio verò comprehensiuæ obiecti necessariò est diffinitiuæ, aut quasi diffinitiuæ: dico quasi diffinitiuæ, quoniam sunt plura obiecta, quæ non habent propriam diffinitionem, cum tamen intellectus adæquate, ac distincte penetrat rationes oēs formales ipsorum etiam virtute distinctas, habet cognitionem similem diffinitiuæ. Itaque quotiescunque conceptus mentales attingunt omnem rationem formalem entitariam, quæ datur ex parte obiecti, solumque differunt penes rationem confusè, ac distincte cognoscendi, obiectum ita cognitū solum sortitur distinctionem rationis ratiocinantis, non ratiocinatæ, siue habeat proprie definitionem, vt composita Physica, vel Metaphysica, siue non, vt res simplices, & intrinsecè compositionis expertes.

VII.

Ad primum, contra hanc assertionem neganda est assumptio, cuius probatio, si vim habet, concludit etiam, diffinitionem, ac diffinitum distingui ex natura rei, quod est falsum. Nam si medium continere debet rationem obiectiuam, quæ suapte natura sit causa siue ratio, cur passio conueniat subiecto, danda est distinctio actualis inter medium, & extrema absque comparatione intellectus: nam si hæc per intellectum existat, siue habeat fundamentum in re, siue non: vltimo tandem pendet ex nostro modo intelligendi: est ergò diffinitio medium, cur passio conueniat subiecto, non quidem secundum se, sed solum quo ad nos, quia concipimus illam, vt causam formalem obiecti, ad quod fat est distinctio solius rationis ratiocinantis, vt patet in demonstrationibus Metaphysicis: nam subiecta Metaphysicæ, vt potè simplicia, maiori ex parte carent proprijs diffinitionibus: sed ratio illa formalis subiecti magis clarè cognita sumitur vt me-

dium demonstrationis, nec tamen distinguitur à subiecto ratione ratiocinata, sed ratiocinante. Ad secundum respondetur, tametsi diffinitum sit gradus per se distinctus à quauis parte diffinitionis per se considerata, non tamen ab integra diffinitione: hæc enim non est gradus aliquis entitarius distinctus ab ipso definito.

Dicendum præterea, inter concreta, & abstracta dari saltem distinctionem rationis ratiocinatæ. Dixi saltem, quoniam increatis dari distinctionem ex natura rei censent plerique Doctores: & ratio est, quoniam omne concretum dicit, vel rationem suppositi, vel subiecti inuoluendo intrinsece vniionem naturæ ad hoc, vel illud: abstractum verò dicit præcise formam sine vlllo respectu, aut vniione ad vtrumque: ratio verò supposititalitatis, itemque vniionis ad subiectum est aliquid ex natura rei distinctum à forma: quare in rebus creatis datur ex natura rei distinctio inter significatum abstracti, & concreti. Et hoc est verum fundamentum huius sententiæ, non verò illud, quo vtitur Capreol. vbi suprâ, recur-
rens ad significationem implicitam formæ extraneæ ipsi concreto: Etenim vt ait Diuus Thomas prima parte, quasi-
quadragesima, articul. secundus, vt aliqua duo distincta intelligantur necesse est, vt ipsorum distinctio intelligatur per aliquid intrinsecum vtrique; adde vel saltem alteri ipsorum: quandoquidem species & genus distincta intelliguntur, nec tamen genus habet aliquid intrinsecum, quod non sit etiam intrinsecum speciei: fat tamen est vt hæc intrinsece includat differentiam, quæ non includitur in genere: at verò formæ non repugnantes cum forma significata per nomen concretum, non sunt intrinsecè significato: atque ad hoc per solam significationem implicitam ipsarum non potest concretum distingui ab abstracto. In Deo verò, quamuis propter omnimodam eius simplicitatem non differant ex natura rei abstractum, & concretum, habent tamen eminenter distinctionem, quam vendicant creatæ: quatenus in ipso est ratio supposititalitatis quam inuoluit nomen concretum, non vero abstractum. At inquires, supposititalitas non est intrinseca nominibus absolutis, siue essentialibus, verbi gratia Deo, sapienti, iusto: quare nec distinctio erit
per

VIII.

Capreol.

S. Thom.

per rationes obiectiuas, sed per solum concipiendi modum: respondeo hæc nomina, vt à nobis applicantur Deo, includere ipsum per se existere. significant enim nomina concreta obiectum, vt quod est, & habet formam abstracte significatam, & licet hæc in diuinis re ipsa includat ipsum esse, non tamen vt habens, sed vt habitum.

IX.

Ad argumenta contra hanc assertionem negandum est antecedens. Ad cuius probationem respondeo, nomen *ratio* interdum sumi presse pro forma rei abstracte significata, interdum vero extendi ad quemcunque modum, siue rationem obiectiuam in re terminantem conceptionem intellectus nostri. & quamuis ratio priore modo sumpta pertineat ad posteriorem, non tamen vice versa: nam suppositiuitas est aliqua ratio obiectiua intelligibilis, distincta à natura suppositi, nec tamen est abstractum suppositi, hoc enim est natura ipsa singularis: itaque licet forma proprie dicta non sit alia in significato concreti, quam ea, quæ significatur nomine abstracto, est tamen modus aliquis, aut ratio entitatiua re, aut virtute distincta à forma abstracte concepta: & ideo distinctio inter ea non consistit in solo modo concipiendi, sed habet fundamentum in re. Ex dictis constat non solum ea, quæ substant pluribus conceptibus synonymis, distingui sola ratione ratiocinante.

X.

Tandem ad intelligendum modum loquendi Doctorum, obseruandum est omnia, quæ sunt idem ex natura rei, & quouis modo differunt ratione, dici distingui penes modum concipiendi, aut significandi: quoniam, cum sublata operatione intellectus non datur vlla distinctio rationis, recte quæcunque distinguuntur ratione siue ratiocinante, siue ratiocinata, dicuntur distingui penes modum significandi, aut intelligendi: quod elicitur ex doctrina Diui Thomæ prima parte, questione quadragesima, articulo secundo, asserente originem, ac relationem distinguendi penes modum significandi. Ad quem locum Caietan. adducit explicationem supra positam: nempe quod quædam differunt penes modum significandi grammaticaliter, quibus scilicet non respondet in obiecto vlla propria ratio intelligibilitatis, quædam vero metaphysicè, quibus respondet: loqui vero D. Thom. articulo illo secundo de modo signifi-

candi, vt ad vtrumque se extendit, recte colligitur ex ipso text. vbi illud contraponit distinctioni reali: sic enim ait, *Quæ quidem, quamuis re non differant, differunt tamen penes modum significandi*, indicans quæcunque re non differunt, differre penes modum significandi: idem significat Albertus in summa, tractatu decimoquarto, questione quinquagesima nona, m. 4. particula tertia, & plures alij, asserentes omnia nomina diuina significare idem secundum rem, differre tamen secundum modum significandi, qui tamen in diuinis attributis agnoscunt distinctionem rationis ratiocinata.

Albertus.

Quod vero attinet ad distinctionem rationis ratiocinata, tribus omnino modis fingi potest. Primus est cum res simplex, & suapte natura indistincta, æquipollet pluribus suapte natura distinctis. Secundus, cum diuersæ rationes obiectiue sunt separabiles, saltem inadæquate altera ex parte in diuersis subiectis: tertio denique cum eadem omnino res habet habitudinem siue connotationem ad plura actu distincta. Primus modus non habet vllam difficultatem: quoniam, quando eadem res non concipitur adæquate secundum omnem rationem intelligibilitatis obiectiue, sed pluribus conceptibus inadæquatis prout æquipollenter continet res alias actu distinctas, singuli eorum conceptus repræsentant obiectum sub vna, vel altera ratione præcisâ ab ea, sub qua repræsentant alij: atque adeo distinctio ex ipsis resultans habet fundamentum in re, & non in solo modo concipiendi. hic autem modus distinctionis per æquipollentiam potest diuidi in totidem membra, in quot diuiditur distinctio actualis ex natura rei: nam si res suapte natura indistincta æquipollet pluribus re ipsa distinctis, erit distinctio virtualis realis: si pluribus formaliter distinctis, erit virtualis formalis: si pluribus modaliter distinctis, erit virtualis modalis.

XI.

Pro secundo modo notandum, mutua separabilitatem in omnibus inferioribus arguere distinctionem ex natura rei, vt patet ex candore, ac dulcore: ita enim se habent, vt vterque possit existere actu seorsim ab alio: si vero mutua separabilitas conueniat ratione quorundam inferiorum, non vero aliorum, tunc rationes communes horum inferiorum secundum

XII.

se non distinguuntur ex natura rei, sed sola ratione ratiocinata, vt patet in ratione communi iustitiæ, ac sapientiæ, communium Deo, & creaturis. At vero inadæquata separabilitas cernitur, cum ita necessariò coniungitur vtraque ratio in eodem subiecto, vt quædam nullo modo possit esse sine alia, hæc vero possit saltem in alio subiecto: tum vero hæc duæ rationes in subiecto, in quo necessariò copulantur non sola ratione ratiocinante, sed ratiocinata distingui dicuntur: hoc modo se habet substantia, & ens: nam licet substantia esse nequeat abstracta à ratione entis, hæc tamen potest diuina virtute sine substantia coherere: nam in speciebus consecratis est ratio accidentis, & entis, seiuncta à ratione substantiæ: planius exemplum est in opinione distinguente gradus metaphysicos sola ratione ratiocinata: nam animal potest esse in leone realiter distinctum, ac separatum ab homine, qui tamen sine ratione animalis omnino non est. Fundamentum huius rei est, quoniam ratio separabilis in alio subiecto habet rationem fundamentalem obiectiuam, secundum quam verè terminat conceptum mentis, quin terminet sub ea ratione, cum qua in priore subiecto est necessariò coniuncta: ergo habet distinctionem non solum ex intellectu ratiocinante, sed radicaliter ex se ipsa.

XIII.

Quod attinet ad tertium modum, est dubium, quænam connotatio sufficiat ad constituendam distinctionem rationis ratiocinatæ. Nam si connotatio quorumlibet distinctorum ex natura rei illam arguit, in quauis potentia numerica erit fundamentum infinitarum distinctionum eiusmodi: verbi gratia, si consideretur potentia videndi, & comparetur cum singulis indiuiduis colorum, circa quæ versari potest, habet infinitas connotationes, sicut indiuidua sunt infinita: quare si, prout connotat hoc distinctum ab alio ex natura rei, distinguitur virtute à se ipsa prout connotat aliud, erit infinities distincta à se ipsa secundum rationem ratiocinatam, & cum fundamento in re: idemque dicendum de quauis alia re indiuidua, habente comparationem ad multa realiter distincta: Aureol.

Aureol.

in 1. distinct. 45. quæstione vnica art. 1. distinctionem connotationis constituit in habitudine secundum dici, ita quod distingui penes extrinsecam non sit aliud, quam si distinguatur vnum, & idem, quia

dicatur relatiue ad plura secundum dici. Quæ doctrina magna ex parte vera est: nam quæ sunt simpliciter absoluta ab omni respectu tam secundum dici, quam secundum esse, intelligi possunt absque omni alio obiecto sibi extrinseco: quare cum connotatiua percipi nequeant absque eo, quod aliquid sibi extrinsecum concipiatur saltem in obliquo, necessariò habere debent adiunctam relationem secundum dici, sub qua res alioquin absoluta concipiatur in ordine ad aliud. Relatiua vero secundum esse excludit ab eo genere: quoniam in connotatiuis exigit formam absolutam cognoscibilem per se absque perceptione extrinseci: id vero non conuenit relatiuis secundum esse: hæc enim etiam quo ad proprium esse, quod significant in recto, non possunt intelligi absque termino extrinseco: & hinc colligitur eatenus aliquid distingui penes connotata, in quantum vna ratio potest sibi plures habitudines appropriare: & ita differt penes appropriata, quæ includit extrinsecè quasi quædam cointellecta, non tamen intrinsecè distinguitur. Non tamen opus est ad eiusmodi distinctionem, vt vtrunque extremum connotet diuersa obiecta extrinseca, sed sat est, vt vnum connotet non connotante altero, cum quo est idem in principali significato: vt se habent concretum, & abstractum: hoc enim non connotat subiectum, illud vero maxime.

Hoc posito dicendum est, distinctionem sumptam ex connotatione rerum suapte natura, vel virtute distinctarum, esse rationis ratiocinatæ: probatio est facilis, quoniam conceptui connotatiuo quolibet ex modis supradictis, respondet fundamentaliter in re aliqua obiectiua cognoscibilitas, quæ non respondet alteri conceptui non synonymo eiusdem rei similiter connotatiuo: hoc autem sufficit ad distinctionem rationis ratiocinatæ, vt patet ex dictis. Antecedens patet, quoniam si eorum, quæ distinguuntur, vtrunque est connotatiuum, vtrunque habet ex parte obiecti aliquid proprium, non commune cum alio: exempli gratia intellectus practicus, & speculatiuus, sola connotatione distinguuntur, vterque tamen connotat obiectum non connotatum ab altero, nempe practicus operabile, speculatiuus non operabile: cum vero ex natura rei intellectus idem, quatenus respicit obiectum operabile, sit ac dicatur practicus,

XIV.

practicus, speculatiuus autem quatenus respicit non operabile, fit vt distinctio penes practicum, ac speculatiuum habeat fundamentum iure. Idemque dicendum quando conuocatio se habet ex altera tantum parte: nam quemadmodum ad distinctionem ex natura rei non necessario requiritur, vt vtrumque extremum habeat positiuam rationem distinctionis, qua alterum careat: sed sat est, vt vnum habeat aliquid, quo alterum careat, vt videre est in natura, ac supposito. nam quamuis nihil habeat natura, quod non includat suppositum, hoc tamen addit supra illam positiuam rationem suppositiualitatis, ita si comparentur duo sola ratione distincta, quorum alterum addat connotationem supra significatum alterius, distinguuntur ratione ratiocinata, vt se habet intellectus ad rationem superiorem, & inferiorem, intellectus enim caret connotatione explicata, quam vtraque ratio vendicat ad determinata quædam obiecta, vel regulas: ipsæ vero rationes includunt in suo significato rationem formalem intellectus, & ita distinctio huiusmodi pendet ex sola additione connotationis ex altera parte. Dictum vero est, sat esse connotationem rerum sola virtute distinctarum: quoniam ea, quæ virtute differunt, sufficiunt ad gignendam distinctionem rationis ratiocinatæ secundum esse intellectum, fundamentum est. quoniam cum contineant eminenter, seu æquiuallenter ea, quæ suapte natura distinguuntur, sicut hæc possunt terminare conceptus secundum rationes obiectiuas distinctos, ita & illa. Hac de causa concreta, & abstracta distinguuntur ratione ratiocinata etiam in diuinis, quamuis concreta non connotent aliquid ex natura rei, sed sola virtute distinctum a significatis abstractorum: connotant enim suppositum, quod solum virtute distinguitur à natura, & cæteris perfectionibus absolutis.

datius exemplum est, intellectus practicus, ac speculatiuus, ratio inferior, ac superior: quæ omnia dicunt in recto vnam, atque indiuisam rationem formalem intellectus, sub diuersis habitudinibus ad extrinsecam conuocata. Quæ vero duobus aliis modis distinguuntur, cum non sint necessario relatiua secundum dici, atque adeo non distinguantur per extrinsecam connotationem, admittunt distinctionem aliquam intrinsecam non ex natura rei actualement, sed obiectiuam aptitudinalem: quatenus eadem entitate absoluta possunt terminare diuersos conceptus, quibus respondent diuersæ rationes obiectiuæ vel simpliciter, vel altera ex parte practicæ.

Ad argumentum contrarium respondendo, quoties forma, vel entitas, habet aliquam habitudinem etiam remotam ad aliquid positiuum, ita vt sub ea habitudine præcisè concipi possit, dari fundamentum sufficiens distinctionis secundum rationem ratiocinatam, vt se res habet in argumento proposito: nam quando potentia videndi concipitur, vt perceptiua huius numero coloris ex parte obiecti, est fundamentum huius conceptionis, verè enim est perceptiua illius: quatenus vero ita concipitur, abstrahit à cæteris, quorum est perceptiua: quod similiter euenit quoties concipitur comparate ad alia: non repugnat autem, vt res aliqua propter habitudinem ad infinita subterni possit infinitis conceptionibus, & distinctionibus rationis, habentibus fundamentum in re.

Perfectiones diuinæ distinguuntur
ratione cum fundamen-
to in re.

CAPVT VI.

PRemissa explicatione terminorum restat videndum, vtrum sit in Deo distinctio rationis, & qualis; & quidem Ocham. in 1. d. 2. quæst. 2. Gabriel quæst. 2. art. 2. conclusionem 1. Mayron. d. 8. quæst. 4. Andreas de Nouo Castro d. 32. quæst. 2. Gregor. d. 8. quæst. 2. art. 1. Alliacens. quæst. 6. art. 2. litera I. & L. conclusionem 1. & Maior d. 8. quæst. 1. aliàs 4. conclusionem 2. quia existimant non dari vllam distinctionem rationis, consequenter negant eam in diuinis.

Dico primum. Perfectiones diuinæ
distinguntur

XVI.

I.

Ocham.
Gabriel.
Mayronius.
Nouo Castro.
Gregor.
Alliacensis.
Maior.

II.

XV.

Arrel.

Ex dictis colligitur discrimen inter ea, quæ distinguuntur duobus modis prioribus, & ea, quæ per solam connotationem: hæc enim vt recte deducit Aureolus vbi supra, in fine tertiæ propositionis, non habent intrinsecè aliquam distinctionem quoad id, quod important principaliter, & in recto, sed solum extrinsece quo ad ea, quæ connotant in obliquo: quod ipse declarat exemplo sapientiæ, ac iustitiæ, sed perperam, hæ enim sunt formæ absolutæ, & habent in recto perfectiones simpliciter intrinsece distinctas. Accommo-

distinguuntur ratione ab inuicem, & ab
 essentia: hæc est communis Scholastico-
 rum, ita expressè docent Aletius. 1. p. q. 23.
 m. 4. art. 1. Albert. in 1. d. 8. art. 3. & 4. S.
 Thom. Thomas opuscul. 9. quæst. 1. 2. & 3. quæst.
 7. de potentia art. 6. & in 1. d. 2. quæst. vn.
 art. 2. & 3. & d. 22. q. vn. art. 3. Bonauent.
 Aegid. d. 34. quæst. 2. ad quintum Aegid. d. 2. p. 1.
 distinctionis quæst. 3. & d. 8. 1. p. secundæ
 partis principalis quæst. 4. ad 3. & 4. Henr.
 in sum. art. 24. quæst. 4. ad 1. art. 51. quæst.
 1. 2. & 3. quodlibet. 5. quæst. 1. & quodlib.
 Richardus. 13. quæst. 1. Richard. in 1. d. 2. art. 1. quæst.
 Durand. 2. 3. & 4. Durand. quæst. 3. à numero 15.
 Heruæus. Heruæus quodlibet. 3. quæst. 2. §. *Quantum*
ad tertium, & quæst. 3. & quodlibet. 8. q. 1.
 Rubionius. Rubion. in 1. d. 8. quæst. 4. art. 1. conclu-
 sione 4. Toletan. quæst. vn. art. 2. in Co-
 rollario quartæ conclusionis, & art. 4. ad
 argumenta contra idem Corollar. Argent.
 Marfil. d. 6. quæst. 1. art. 3. Marfil. quæst. 12. art.
 Cisterciensis. 3. 2. p. articuli. Dionys. Cisterciens. d. 22.
 Carthusian. quæst. vn. art. 2. conclusionem 6. Carthusian.
 Tarantaf. d. 2. quæst. 2. & Petrus de Tarantasia apud
 Capreol. eundem. Capreol. d. 8. quæst. 4. à conclu-
 sione 2. Hispalens. quæst. 9. etiam 4. art. 1.
 Abulens. conclusionem 2. Abulens. quæst. 1. in cap. 6.
 Clypeus. Exodi. Clypeus Thomistarum quæst. 10.
 in Porphy. art. 1. conclusionem 2. August.
 Nyphus. Nyphus 12. Metaph. disp. 13. cap. 4. Caiet.
 Caietanus. de ente, & essentia, quæst. 12. 3. propositione.
 Syluest. Syluest. in conflat. quæst. 13. art. 6. &
 Ferrariens. 7. Ferrariens. lib. 1. contra Gentes cap. 35.
 Palatius. Palat. in 1. dist. 2. disput. 2. versus finem,
 Iauellus. Chrysostom. Iauell. 12. Metaph. quæst. 19.
 Torres. art. 2. conclusionem 2. Torres. 1. p. quæst. 28.
 art. 2. disput. 1. 2. p. conclusionem 3. 4. & 5.
 & disput. 2. dub. 4. tandem Comment. 12.
 Metaph. Comment. 39. quamuis illum in-
 terpretari conetur Gregorius ubi supra,
 quem fusè impugnat Capreol. quæst. cita-
 ta art. 2. ad 27. ex 2. loco positus contra 2.
 conclusionem. Eadem est expressa senten-
 tia Basilij lib. 1. contra Eunomium inter
 principium, & medium. Athanas. dialog.
 1. de Trinitate post medium, & sumitur ex
 dictis sanctorum Patrum, admittentium in
 Deo aliquam alteritatem, & multiplicita-
 tem, quæ dū sine aliqua distinctione co-
 herere nequeunt: non est autem ex natu-
 ra rei, vt probatum est tractatu superiore:
 ergo secundum rationem, ita præter Patres
 allatos tractat. præced. cap. 7. num. 4. lo-
 quitur, Augustinus Epist. 102. *Legitur qui-*
dem & Spiritus sapientie multiplex, sed rectè
dicitur etiam simplex. multiplex enim, quoniam
multa sunt quæ habet: simplex autem, quoniam
non aliud, quam quod habet, est. Cyrill. Alex.
 lib. 9. de adoratione in spiritu, & veritate,

inter principium, & medium: *Quamuis vni-*
genitus ille secundum naturam vnus sit, & vt
Deus simplicem habeat essentiam, diuersitate ta-
men efficientia quasi multiplex esse videtur. ne-
que vero aliquid in eo externum est, & aduenti-
tium, tametsi diuinis attributis quodammodo
haud simplex intelligatur. & Richard. lib. 2. de
 Trinit. cap. 21. *Quid nimirum sibi concordet,*
& in vnum concurrat identitas cum multipli-
catis infinitate.

Præcipuum fundamentum sumitur à
 contradictoria oppositione: nam de eo-
 dem subiecto, re, ac ratione indistincto, e-
 nunciari nequeunt termini contradicto-
 rij etiam cum reduplicatione: de perfe-
 ctionibus vero diuinis saltem sub redupli-
 catione enunciantur contradictoria: nam
 hæc est vera: intellectus, qua intellectus
 est, est principium producendi verbum:
 item hæc: voluntas, qua voluntas, non est
 principium producendi verbum: ergo in-
 tellectus diuinus, & voluntas distinguun-
 tur saltem ratione. Maior propositio pa-
 tet ex principio illo naturali: impossibile
 est simul idem affirmare, ac negare: at ubi
 nulla distinctio intercedit, et si nomina
 sint diuersa, significatum est idem omni-
 no, neque reduplicatio inuenit aliquam
 rationem villo modo distinctam, ratione
 cuius possit esse vera in vno, falsa in al-
 tero: quomodo se habet in his duabus: ani-
 mal quatenus animal non est rationale, ho-
 mo quatenus homo est rationalis: nam
 quia reduplicatio cadit supra propriam ra-
 tionem formalem, quoties in obiecto
 suapte natura indistincto est distinctio se-
 cundum rationem, possunt de ipso verifi-
 cari termini contradictorij cum redupli-
 catione: at si tollas omnem distinctionem,
 manet eadem omnino ratio formalis, quæ
 non potest esse ratio, cur duo contradicto-
 ria vere affirmentur de eodem subiecto:
 Licet autem non sit opus, vt de eodem sub-
 iecto sub reduplicatione sumpto, vere di-
 catur alter ex terminis contradictorijs, vt
 patet in his propositionibus: *homo quate-*
nus homo est albus, homo quatenus homo
est non albus: vtrique enim est falsa, quia
 non omnis forma, aut eius negatio necessa-
 rio inest subiecto, quatenus ipsum, potest
 enim indifferens esse ad alterutram: tamen
 quia impossibile est, vt subiecto, quate-
 nus ipsum, conueniat forma, & eius ne-
 gatio, nullo modo fieri potest, vt duo
 termini contradictorij verè affirmentur
 de eodem subiecto sub reduplicatione
 sumpto: atque adeo, si hæc sunt veræ, in-
 tellectus diuinus, quatenus intellectus, est
 principium producendi Verbum, volun-

tas quatenus voluntas non est principium producendi Verbum, necessario intercedit aliqua distinctio rationis inter intellectum diuinum, & voluntatem. Denique omnis multiplicitas secundum esse intellectum, parit distinctionem rationis: perfectiones vero diuinae habent multiplex esse intellectum in animis nostris. alia enim est ratio intellecta misericordiae, alia iustitiae, & sic in ceteris, ergo habent distinctionem rationis. Fundamentum nominum iam superius impugnatum est, & ideo nunc satis est illud absolute negare.

IV. Hoc posito, restat inquirendum, vtram distinctionem rationis vendicent perfectiones diuinae ratiocinantis ne, an vero ratiocinatae. Pro quo opus est recollere duplicem rationem distinctionis secundum rationem ratiocinantem: altera est secundum nomina mentalia, vel vocalia synonyma substrata diuersis intentionibus secundis, resultantibus ex comparatione eiusdem ad se ipsum, vel ad diuersa: altera est secundum conceptus non synonymos, quorum singulis non respondet ex parte obiecti ratio vlla, quae non respondeat alteri. Priori modo distinguere attributa dixerunt nonnulli relati ab Augustino. Nypho lib. duodecimo, Metaphys. disput. decimatertia capit. tertio, asserentes omnia nomina Deo attributa esse synonyma, cui sententiae fauere videtur Magister in primo distinct. octaua, littera F. quatenus ait attributa diuina distinguere solum secundum nomina. Idem dicit Auctor Comment. super lib. primum. Boetij de Trinitate, qui habetur octauo tom. operum Bedae pag. 112. & Gilbert. in lib. secundo Boetij de Trinitate, §. *Idq. signi erit.* vbi loquens de attributis, *Quod si* inquit, *vna horum trium*, nempe personarum, *substantia*, manifestum est ea, in eo sub multorum diuersitate nominum id de ipsis substantialiter dici.

V. In eandem sententiam re ipsa recidit opinio recentiorum, qui aiunt attributa diuina se inuicem intrinsece, & essentialiter includere, ita vt nulla sit omnino ratio obiectiua significata nomine vnus, quae non significetur nomine alterius. & quamuis negent nomina attributalia esse synonyma, quoniam vt non sint synonyma, sufficit diuersitas in significando implicite vel explicite, vt dicam 2. p. lib. 3. in tractatu de nominibus Dei. tamen omnino euacuant distinctionem rationis ratiocinatae: haec enim habet fundamen-

tum in re, quae propter excellentiam suam esse vel multiplicem rationem intelligibilitatis, nequit apprehendi a nobis adaequate vnico simplici conceptu, ideoque eget pluribus, quorum singuli singulas rationes attingant: at si quouis conceptu percipiuntur omnes perfectiones diuinae formaliter, quamuis confuse, non est in re fundamentum distinctionis inter attributa, sed solum in intellectu pro libito, concipiente esse diuinum explicite, modo sub vna ratione, modo sub alia. Et confirmatur quoniam, iuxta eum modum dicendi distinctio non est virtualis, siue per aequipollentiam: nam si quoduis attributum includit omnia, non minus aequipollet vni perfectioni creatae, quam omnibus: non per separabilitatem: quoniam licet in singulis sint plures rationes ab inuicem separabiles in creaturis, nullam tamen dicit rationem separabilem a rationibus omnibus cuiuslibet alterius: non denique per connotationem, quoniam singula inuoluunt connotationem reliquorum, quatenus requiritur ad intellectum cuiusvis rationis formalis eorundem: cum ergo distinctio omnis rationis ratiocinatae ad haec tria capita referatur, vt patet ex capite proximo, si nulla earum admitti potest ad diuina, iuxta placitum illorum Doctorum, consequens est, vt si sibi constare velint, asserant attributa diuina distinguere sola ratione ratiocinante, nempe penes modum concipiendi explicite, & implicite idem obiectum, & easdem prorsus rationes formales ipsius. Id vero probatur facile ex eorum fundamento, quoniam ea, quae distinguuntur ratione ratiocinata, vendicant conceptus praecisos saltem ex vna parte: attributa vero diuina ex ipsorum sententia non ita se habent: quare non est inter attributa distinctio rationis ratiocinatae.

Suadetur vero haec sententia, primo argumento sumpto ex Aureolo in 1. dist. 45. quael. vn. art. 3. propositione 2. quamuis in composito quantitativo possit superuenire distinctio non acquiritur ratione aliqua absoluta, sed solum operatione intellectus: sicut linea per intellectum diuiditur in duas partes, tamen in re indiuisibili fieri nequit, vt intellectus constituat distinctionem, nisi quia subternit, siue fabricatur aliquid substratum eidem: quare, cum Deus sit omnino indiuisibilis, non poterit intellectus immediate distinguere perfectiones diuinas aliter, quam fabricando rationes substractas illi distinctioni: quae proinde erit solius rationis ratiocinantis, nec habebit fundamentum in re.

Secundo

VI.

Aureol.

secundo omnis distinctio rationis ratiocinata minuit unitatem, ac simplicitatem: ergo cum Deus sit maximè vnus, ac simplex, non cadit in ipsum talis distinctio: cōsequētia patet, quoniam summe vnum, ac simplex, non est capax alicuius defectus penes unitatem, aut simplicitatem. Maior propositio quo ad unitatē probatur, quoniam magis vnum sunt illa, quæ nec ratione ratiocinata distinguuntur, quam illa, quæ eiusmodi distinctionem admittunt: nam magis vnum, & idem, sibi ipsi est rationale, quam sit cum animali: non alia de causā, quam quia à se nec ratione ratiocinata distinguitur, ab animali vero maximè. Quo ad simplicitatem vero ostenditur, quoniam quæcunque sunt plura, & vnum quasi integratum ex singulis, hoc ipso intelliguntur composita: omnes autem perfectiones diuinæ sunt vnum in Deo: quare si distinguuntur, & admittunt pluralitatem secundum rationem ratiocinatam, erunt etiam capaces compositionis. Tertio distinctio rationis ratiocinatæ sufficit ad veritatem propositionis negantis, constantis terminis abstractis siue rationibus obiectiuis, secundum quas est distinctio: sed in diuinis sunt veræ predicationes in abstracto: nam hæc propositiones; sapientia est iustitia, essentia est omnipotentia, & similes, sunt veræ, vt patet ex communi vsu loquendi sanctorum Patrum: ergo inter ipsas non est distinctio rationis ratiocinatæ, sed tantum ratiocinantis. Maior propositio constat ex ijs, quæ apud nos plerique auctores censent non distingui, nisi ratione ratiocinata: nam omnium confessione hæc sunt falsæ; rationalitas est animalitas, vegetabilitas est sensibilitas: & tamen gradus Metaphysici non distinguuntur à parte rei: item falso dicitur, ratio superior est ratio inferior, cum tamen sint idem ex natura rei.

VII.

Dico secundum: Distinctio attributorum diuinorum non est solum materialis penes nomina synonyma. Hæc est communis Doctorum negantium nomina diuina esse synonyma, quos referam 2. p. lib. 2. in tractat. de nominibus Dei. pro eadem facit D. Basilius lib. 1. contra Eunomium paulò ante medium, vbi impugnat dictum illius asserentis ingenitum, cum de Deo dicitur, sola in voce consistere, & cum hac simul opinione de re euanescente: item Athanasius. & alij Patres citati, qui agnoscunt in diuinis nominibus diuersam significationem, nomina vero synonyma non habent diuersam significationē, sed eandem. Fundamentum conclusionis est, quoniam

scriptura diuina, & Patres cum de Deo, & eius operibus loquuntur, quædam ascribunt his attributis, quædam alijs. At si inter illa esset sola distinctio penes voces, ex æquo possent tribui effectus vni attributo, ac cuius alteri: nihil enim interest vtrum dicatur, gladius scindit, an vero ensis scindit: cum ergo speciali ratione punitio tribuatur iustitiæ, indulgentia, & remissio culpæ, misericordiæ diuinæ, non est inter eas distinctio solum penes nomina. Præterea Theologi, imò & Metaphysici ex quibusdam perfectionibus diuinis discunt ad alias, sumendo illas pro medio termino ad has demonstrandas. fieri autem nequit, vt medius terminus solum differat ab alio extremo nomine tenus, ita vt sint synonyma. Denique distinctio penes sola nomina, non simpliciter denominat rem distinctam ex parte rationum significatarum, sed ex parte solius intentionis resultantis ex mera comparatione eiusdem ad se ipsum, sub eadem omnino ratione conceptum: vt cum Socrates dicitur prædicatum, & subiectum, conceptus Socratis ex parte prædicati, & subiecti, est omnino similis quoad rem, & rationem significatam: fortitur vero distinctionem ex comparatione, & diuersa habitudine prædicati, & subiecti: at conceptus respondentis diuinis nominibus, tamen conueniant in re significata, nō tamen in rationibus obiectiuis, sub quibus illam significat: nec differunt sola habitudine rationis consequente modum intelligendi, sed etiam ex parte obiecti significati, cuius diuersas rationes attingunt: & ita D. Basilius vbi supra, contendit nomina diuina, etsi significent vñ aliquid simplex, multiplici tamen ratione illud significare, quod in pluribus ostendit, & tandem concludit: *Ita si quis singula nominum pertractabit, multiplices, atq; varias rationes inueniet, quamuis vnum secundum substantiam ijs omnibus subiiciatur*: loquitur de rationibus non inanibus, aut fictis animo, vt patet ex ipso contextu: quæ nō distinguuntur solis nominibus, aut conceptibus synonymis.

Dico tertium: perfectiones diuinæ distinguuntur ratione ratiocinata, non sola ratiocinante. Hæc est communis Doctorum, differētium distinctionem earum, habere fundamentum in re: quo secernitur distinctio rationis ratiocinatæ à distinctione rationis ratiocinantis: hæc enim habet principium, & complementum à solo intellectu, illa radicem, & fundamentum in re, complementum ex operatione intellectus. ita vero censent, sanctus Thomas s. 1. 2. q. 1. opuscul.

Basil.

Athanasius.

Basil.

s. Thom.

opuscul. 72. in responsione ad quartam
 quæstionem, & in 1. d. 2. quæst. vn. art. 2.
 in corpore. *Agid.* 1. p. distinctionis quæst. 3.
 art. 1. *Henric.* in sum. art. 51. quæst. 2. & 3.
 Ioannes de Bachone in 1. d. 2. quæst. 2. art.
 3. §. 1. & art. 4. §. 1. *Toletan.* d. 8. quæst.
 vn. art. 2. conclusionem 4. & art. 4. ad argu-
 menta contra Corollar. quartæ conclusio-
 nis. Petrus de Tarantasia apud Carthusia-
 num in 1. d. 2. quæst. 2. & idem Carthusian.
 post recitatâ sententiam Alberti, Capreol.
 d. 8. quæst. 4. art. 1. in fine, & art. 2. ad 15.
 contra primam conclusionem, & ad con-
 firmationem 15. Aureoli contra 2. conclu-
 sionem, ubi refert Paludanum idem asse-
 rentem, *Hispalens.* quæst. 4. art. 3. Notab.
 2. & 4. & art. 4. ad 15. Aureoli contra 2.
 conclusionem, *Soncin.* eadem quæst. ad 5.
 Scoti contra 4. conclusionem. *Caietan.*
 quæst. 12. de ente, & essentia 2. propositio-
 ne. *Syluest.* 1. p. conflati quæst. 13. art. 7. §.
 6. in fine. *Ferrariens.* lib. 1. contra Gentes
 cap. 35. §. *Vnde si queratur.* *Chrysostom.*
 Iauell. 12. *Metaphys.* quæst. 19. eiusdem
 sententiæ sunt Doctores, quos referam
 cap. 8. asserentes, diuina attributa distingui
 virtute, & relati tractat. 2. cap. 8. qui do-
 cent conceptus attributorum non se inui-
 cem includere. Fundamentum est, quo-
 niam quoties plura nomina simplicia non
 sunt synonyma, significata ipsorum distin-
 guuntur vel actu à parte rei, vel ratione ra-
 tiocinata: nomina perfectionum diuina-
 rum non sunt synonyma, vt patet ex se-
 cunda assertionem, quare cum non distin-
 guantur actu ex natura rei, distingui de-
 bent ratione ratiocinata. Dictum est in
 maiore nomina simplicia: quoniam si com-
 parentur simplicia cum complexis, vel
 complexa inter se, fieri poterit, vt sit sola
 distinctio penes rationem ratiocinantem,
 quamuis non sint synonyma: qua ratione
 distinctio, ac diffinitum differunt sola ra-
 tione ratiocinante, vt patet ex cap. proximo,
 & tamen nō sunt synonyma, est enim
 distinctio aptū medium ad demonstrandū
 passionem de diffinito. In particulari vero
 impugnatur modus consequens ad senten-
 tiam recentiorum. Nā distinctio penes so-
 lum modū tendēdi in obiectum implicite,
 ac explicite sine vlla diuersitate ex parte ra-
 tionum formalium, non est satis ad diuer-
 sitatem propositionum absolutarum penes
 veritatem, ac falsitatem: distinctio vero
 perfectionum diuinarum sufficit ad eam
 inducendam: ergo non est solum penes
 modum concipiendi implicite, & explici-
 te. Maior ostenditur, quoniam quidquid
 affirmatur de prædicato singulari intrin-

seco subiecto, prædicatur de subiecto, &
 vice versa: nam si hæc est vera, hoc animal
 est sensitium, aut substantia, verum quo-
 que est, Socrates est sensitium, & substantia:
 si hæc est vera, Socrates currit, studet, est
 Philosophus, illa quoque vera est, hoc ani-
 mal currit, studet, &c. & tamen hoc ani-
 mal, & Socrates differunt penes modum
 significandi implicite, & explicite: Socra-
 tes enim dicit implicite animal, & ceteros
 gradus superiores, explicite vero conditio-
 nes indiuiduantes: hoc vero animal dicit
 explicite gradum animalitatis singularem
 per accidens, conditiones vero indiui-
 duantes, & cetera implicite. Assumptio
 vero patet: quoniam vt traditur in materia
 de Trinitate, hæc est vera, Verbum æter-
 num procedit per intellectum: hæc vero
 falsa, Verbum æternum procedit per vo-
 luntatem: ex quo sequitur intellectum di-
 uinum, & voluntatem distingui ex parte
 rationum obiectuarum, & non ex solo
 modo significandi implicite, vel expli-
 cite.

Ad explicanda testimonia auctorum
 in contrarium adducta, obseruandum est,
 distingui solo nomine, aut solo modo
 significandi aut concipiendi dupliciter
 vsurpari: primo pro omni distinctione ra-
 tionis, quæ saltem complete pendet ex mo-
 do concipiendi nostro, etiam quando est
 secundum rationem ratiocinatam, & hoc
 modo solum excluditur distinctio actualis,
 deinde vsurpatur pro distinctione, quæ
 principium, & complementum habet ex
 intellectu absque fundamento in re, ita vt
 ex parte eius non sit multiplicitas virtualis
 intelligibilitatis obiectiue, & hoc modo
 cum dicitur distinctio solum secundum ra-
 tionem, aut secundum nomina, excluditur
 tam distinctio ex natura rei actualis, quam
 virtualis, siue fundamentalis. Hoc posito
 respondeo, testimonia auctorum in con-
 trarium adducta, intelligēda de distinctio-
 ne secundum sola nomina, aut rationem
 priore modo accepta: loquuntur enim de
 nominibus, quatenus significatiua sunt, sic
 autem non dicuntur simpliciter diuersa,
 quando solo sono differunt, sed oportet
 vt insuper addant distinctionem significa-
 tionis, quod specialiter videre est apud
 Magist. solum enim intendit excludere à
 diuinitate multiplicitem actualem à par-
 te rei, vt patet ex contextu. quærit enim
 cur, si Deus est simplex, multiplex dica-
 tur à B. Augustino; & respondet hoc
 non propter diuersitatem accidentium, vel par-
 tium dicit, sed propter diuersitatem, ac mul-
 titudinem nominum. Solum itaque vult his

IX.

nominibus non respondere plura ex natura rei distincta: qualia sunt plura accidentia, vel plures partes, quarum multipliciter reijcit, & ita cum admittit diuersitatem nominum, loquitur de ijs, quatenus significatiua sunt: nam nomina solum penes voces diuersa non indicant multipliciter, de qua loquitur Augustinus eodem modo interpretandus est auctor ille apud Bedam, & Gilbertus cum ait, *Sub multorum diuersitate nominum vnum, & idem de personis diuinis substantialiter dici*. sumit enim nomina prout significantia sunt, & inuoluunt diuersos conceptus sibi respondentes, vt constat ex alijs verbis eiusdem eod. lib. §. *Si igitur interrogem*, versus finem, vbi sic ait. *Multis rationibus, & diuersis modis idem significamus, cum dicimus, Deus, magnus, bonus, & eiusmodi, vt facimus in naturalibus, cum dicimus homo, humanus, corpus, corporale, corporeum*: & tamen vt patet, homo, & humanus, corpus, & corporeum, non sunt nomina synonyma, nec differunt sola ratione ratiocinante.

Gilbert.

X.

Ad primum argumentum neganda est consequentia. Nam quamuis ad distinctionem omnem rationis actuale, saltem quoad sui complementum, requiratur pluralitas rationum formalium, siue conceptionum mentalium, quas intellectus effingit circa idem obiectum, tamen quo ad originem, siue fundamentum ipsarum est diuersitas: si enim fundamentum sit in re, erit distinctio rationis ratiocinatae, si vero in solo intellectu, erit solius rationis ratiocinantis. Vt autem fundamentum sit in re, non obstat simplicitas rei: nam si cum simplicitate vendicet perfectionem obiectiuam sufficientem ad terminandos plures conceptus, saltem ex vna parte precisos, verè habebit fundamentum sufficiens ad plures rationes mentales: atque ita ex eo, quod Deus sit simplex, & indiuisibilis secundum rem, non sequitur distingui sola ratione ratiocinante.

XI.

Secundum argumentum tangit difficultatem explicatam tractat. 4. cap. 14. nempe vtrum Deo repugnet compositio rationis. Nunc ex ibi dictis suppono, non repugnare, quoniam solum se habet ex parte intellectus propter excellentiam obiecti simplicis, quod vnica sua ratione formali obiectiuam adequata, respondet pluribus mentalibus inuicem copulatis ab intellectu concipiente obiectum vnum quasi ex multis constitutum. Idemque dicendum de vnitatem, cuius perfectio non consistit in eo, vt subiectum, nec ratione distingui possit, alioquin res vilissimæ verbi gratia punctum,

aut intans haberent perfectiorem vnitatem, quam Angelus, sed consistit in eo, vt cum in diuisione actuali coniunctam habeat maximam perfectionem entitativam, vt explicauimus tractat. 3. huius libri cap. ult. At vero multiplicitas secundum rationem prouenit ex perfectione subiecti, & ita tantum abest vt minuat de vnitatem, vt potius indicet maiorem eius excellentiam, vt notat S. Thomas in 1. d. 2. quæst. vn. art. 2. *S. Thom.* ad primum, & recte explicat Henr. in sum. *Henric.* art. 51. quæst. 3. ad primum: In forma neganda est maior propositio. Ad cuius probationem, quatenus impugnatur vnitatem, dicendum cum Syluestro in conflat. q. 13. *Syluest.* art. 6. circa solutionem ad secundum, aliquid dici dupliciter magis vnum, scilicet extensiuè, aut intensiuè: extensiuè cum habet plures negationes diuisionis, intensiuè cum eas perfectiore modo habet; & illa quidem, quæ nec re, nec ratione distinguuntur, sunt magis vnum extensiuè, quoniam habent duas negationes diuisionis, nempe secundum rem, & secundum rationem: verum non propterea erunt magis vnum intensiuè, imo forte minus: quoniam continebunt minus perfectionis actualis: vt videre est in intellectu, & odoratu: intellectus enim est magis intensiuè vnus quam odoratus: quoniam sub simili in diuisione in plura actu continet multo plus perfectionis, quam ille, & tamen subest pluribus distinctionibus secundum rationem quam ille, aut quicuius alius sensus. At cum vnitas, secundum quam Deus præfertur omnibus alijs entibus, sit secundum rem, non est absurdum, si secundum vnitatem rationis non dicatur maximè vnus extensiuè, quoniam ea vnitatem non pertinet ad perfectionem, & absque illa adhuc manet infinite perfectus secundum vnitatem intensiuam. Ad confirmationem eiusdem maioris, quatenus agit de simplicitate, concedendum id, quod infertur, sed negandum id esse absurdum, vt dixi loco indicato.

Tertium argumentum tangit alteram difficultatem de prædicatione diuinarum perfectionum in abstracto, de qua variè opinantur Theologi. Quidam enim negant esse veras in sensu formali, alij concedunt. Verum mihi videtur vtendum distinctione, & primum quidem sentio, si verba, & conceptus adæquarentur rebus, posse verè de se inuicem enunciari ea omnia, inter quæ non est relatiua oppositio: tamen quia noster intellectus non adæquatur obiecto, & concipit illud aliter, atque aliter per diuersos conceptus, si nostro intelli-

gendi

XII.

gendi modo loquamur dicendum est quædam prædicari in abstracto, quædam non. Illa prædicantur vere, ac formaliter in abstracto, quæ pertinent intrinsece ad rationem formalem alterius, vt à nobis concipitur: Illa vero non prædicantur, quæ mutuo præcindunt secundum conceptus formales, quos de ipsis habemus, & quoniam perfectiones oēs includuntur in essentia, verè dicitur, diuinitas est sapientia, iustitia, misericordia, & sic de cæteris. Quoniam vero iustitia abstrahit à misericordia & hæc à sapientia, & omnes, quæ significantur per modū habituum, vel actuum ab inuicem, sit vt hæc propositiones non sint veræ in sensu formali, sapientia est iustitia, iustitia est misericordia, misericordia est sapientia, & similes: quandoquidem illa, quæ mutuo abstrahuntur per conceptus formales, significantur vt diuersa, quæ autem ita significantur, non possunt vere enunciari in sensu formali, sed solum in identico: repugnat enim rem simul concipi, vt diuersam, & vt eandem. sed hac dere fufius tract. 7.

Distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum, non est solum penes connotata.

CAPVT VII.

I. **V**T ex superioribus constat, distinctio rationis ratiocinata actu, & complete est ab intellectu, fundamentaliter ab obiecto: & quia distinctio fundamentalis est radix actualis, quæ datur per actum intellectus, de illa prius agendū est. Ea vero non est aliud, quam aptitudo quædam obiecti, seu potius vis determinandi intellectū, imperfecte intelligentem ad formandos plures conceptus præcisos, autem inadæquate, sub diuersis rationibus terminatos ad idem obiectum. obiectū enim eiusmodi spectatum in ordine ad intellectum inadæquate intelligentem, admittit distinctionē fundamentalem. Ratio vero fundamentalis eiusmodi triplex est, in primis perfectio, siue eminētia rei simplicis æquipollens pluribus actu ex natura rei distinctis, deinde entitas eiusdē rei simplicis apta terminare plures conceptus sub rationibus obiectiuis separabilibus, saltem in diuersis subiectis: ultimo tandē intelligibilitas obiectiua sub alia atque alia connotatione, & respectu ad plura actu, vel virtute distincta: vno enim ex his tribus modis se habet quodcunque ens vnum, & indistinctum in re, multiplex autem secundum rationem.

Gillij comment. Theol.

Perfectiones diuinas distingui solum per connotata censet Gregor. in 1. d. 8. q. 2. art. 2. Maior q. 1. alias 4. conclusionē 3. Aliacens. q. 6. art. 2. in fine: & indicat Adam. d. 6. q. 1. post tertiam conclusionem, & ad vltimum contra eandem. id vero ex instituto probat Aureol. in 1. d. 8. q. 3. art. 6. & d. 45. q. vn. art. 3. Ait autem, nomina perfectionum diuinarū significare vnam, eandemque naturam diuinam absque vlla distinctione secundum rem, vel rationem in se ipsa connotando alia, quæ eidem subiecta sunt: qua ratione Deitas, quatenus ei subijcitur omnis productio, est omnipotentia: quatenus vero redditio debiti circa vnumquodque est iustitia, & quatenus omnia illi præsentia sunt, est sapientia: & ideo ait magis propriè dici perfectiones diuinas esse ipsammet essentiam, prout diuersa ei subijciuntur per modum terminorum, nec addere rationem aliquam absolutam, vel relatiuam realem, vel rationis, sed solum subijcere sibi diuersos terminos, atque obiecta. Id vero ostendit quæst. illa 3. art. 2. sigillatim enumerando diuersa genera perfectionum diuinarum: nam quædam sunt priuatiua, vt vnum, simplex, incommutabile: quædam positiua, vt voluntas, intellectus, sapientia: quædam priuatiua, simul ac positiua, vt æternitas, quæ ponit determinationem, ac priuat terminum, & immensitas, quæ ponit magnitudinem, & priuat limitationem. Quæ omnia nō important principaliter vllā positionem, sed sumuntur à certo connotato, vt vnum ab indiuisione, quæ non dicit aliquā rationem entis determinatam, sed totum conceptum entis; similiter conceptus simplicitatis importat illud, quod caret omni plurificatione multitudinis, quod nō est aliquid determinate, sed totus cōceptus entis. Idem cernitur in positiuis: nam intellectus importat illud, cui res sunt præsentis secundum esse obiectiuum: voluntas vero id, quod inclinatur in aliud apprehensum ab intellectu: iustitia, id quo quis reddit vnique quod suum est, & sic in reliquis. Denique in priuatiuis simul, ac positiuis idem patet: æternitas enim nō significat determinationem aliquā adiacentem Deitati, sed illud, quod potest attingere omnē determinationem temporalem in infinitum extensibilem, similiter etiam immensitas non dicit quandam magnitudinem alicui adiacentem: sed immensum est illud, quod potest attingere omnem locum, & immensitas id, quod hoc fieri potest. Constat autē quod in his principaliter, & in recto clauditur totus conceptus entis, quamuis in obliquo & conno-

II.

Gregor.

Maior.

Aliacens.

Adamus.

Aureol.

Ttt 2

tatiuè

Henric.

tatiue includatur certus conceptus entis. Eadem ferè est sententia Henrici in sum. art. 32. quæst. 4. à litera P. art. 51. quæst. 1. 2. & 3. ad 2. art. 68. q. 5. in solutione argum. & quodlib. 5. quæst. 1. à litera P. solum vero differat à sententia Aureoli, & aliorum, quod existimat diuina attributa significare præter essentiam respectus quosdam rationis, quibus respiciat ea, quæ Aureol. & alij, aiunt solum connotari.

III.
Auen.
Magister.

Hanc vero sententiam ait Aureol. esse de mente Auen. lib. 8. Met. per totum, Magistri in 1. d. 45. cap. Et ubique, quo loco inquit, quando dicitur Deus scit vel est sciens, & est volens, diuina essentia prædicatur, & Deus esse enunciat. Cum autem dicitur, Deus scit omnia, monstrantur omnia subiecta esse diuinæ scientiæ: cum vero dicitur, Deus vult hæc, vel illa, significatur Deum esse, cuius voluntati hæc, & illa subiecta sunt, ex quibus verbis colligitur perfectiones omnes in recto esse ipsam diuinam essentiam, & solum differre per connotata, quæ exprimuntur in obliquo. Ad idem art. citato propositione 3. profert plurima testimonia Patrum, quibus ostendit singula attributa esse ipsam diuinam essentiam, quare cum non possint includi in illa per modum partis, opus est vt includantur tanquam totaliter eadem intrinsecè, & in recto, quamuis distinguantur extrinsecè in connotato.

IV.

Vis autem probationis quam art. illo 3. primis duabus propositionibus explicat, reduci potest ad duo capita: primum enim ostendit fat esse eiusmodi distinctionem, deinde esse omnino necessariam, nec aliam dari posse. Prima probatio nititur communi illo principio, non est ponenda pluralitas sine necessitate, sub quo ipse assumit ad tuendam simplicitatem diuinam, & vitanda absurda, quæ ex distinctione videntur sequi, fat esse solam distinctionem per connotata extrinsecè absque multiplicitate intrinsecè rei, vel rationis: ergo hæc sola danda est. Assumptio in primis quo ad simplicitatem patet, nõ enim maior fingi potest, quam sublata multiplicitate omni intrinsecè etiam secundum rationem: quo ad vitanda absurda ostenditur, quoniam absurda, quæ fingi possunt nasci ex indistinctione, sunt nugacitas, & inanis repetitio eiusdem rei, contradictio, falsitas enunciationum in abstracto, necessitas operationis intellectus ad verificanda ea, quæ verè insunt à parte rei, confusio conceptus mentalis necessariò apprehendendis omnia, si vel vnum apprehendit: Hæc vero omnia vitantur posita distinctione extrinsecè penes connotata.

In primis quidem nugacitas, quoniam licet omnia importent idè in recto, tamen important diuersa in obliquo, aliud quippe est reddere vnicuique quod suum est, quod importat iustitia, aliud subleuare miseria aliorum, quod importat misericordia: & ita quamuis misericordia, & iustitia coincidunt in idem omnino, tamen ei, quo redditur vnicuique, quod suum est, accidit, vt fit id, quo subleuantur miseria aliorum. Ideoque iustitia non prædicatur per se primo modo de misericordia: & cõsequenter nec nominata vna per se nominatur alia: nec nomina, vel cõceptus sunt synonymi. Deinde vero excluditur omnis contradictio, ad quam tollendam fat est distinctio penes cõnotata: id vero probat fusè, fat est exemplum sumptum ab intellectu: nam intellectus practicus, & speculatiuus per sola connotata differunt, & tamen hæc nõ sunt veræ contradictoria, intellectus practicus discurrit circa agibilia, intellectus speculatiuus non discurrit circa agibilia, sunt enim simul veræ, quod pugnat cum natura contradictoriarum. Tercio retinetur veritas propositionum in abstracto, quoniam quado vna, eademque ratio importatur per plura nomina in recto, etsi differant in obliquo, vera erit prædicatio in abstracto: nam secundum Boetium nulla est verior propositio illa, qua idem prædicatur de se ipso. Quarto defenditur optime in Deo esse perfectiones circumscripto omni opere intellectus. Nã cum perfectiones intrinsecè, & in recto non sint aliud quam Deitas, eaque nullam rationem intrinsecè habeat à terminis connotatis, & sit in Deo ante omnem mentis operationem, manifestè sequitur in Deo esse omnem rationem perfectionis simpliciter ante actum intellectus. Quinto retinetur distinctio, ac multiplicitas conceptuum formalium, dum mens modo apprehendit essentiam absolute absque vilo connotato, modo cum respectu ad hoc, vel illud.

Boetius.

V.

Alterum caput multis etiam argumentis confirmat. Primo quoniam distinctio adeo hæret rationibus absolutis, quas opposita sententia exigit in Deitate, vt nec intelligi possint singulæ absque propria vnitatem, sapientia enim secundum se intelligitur vt ratio distincta, ita vt si in recto diceret rationem determinatam, & absolutam, existere nullibi posset absque distinctione: & ideo cõtradictoria loquuntur, qui aiunt perfectiones diuinas importare perfectiones determinatas intrinsecè, & absolute exclusâ distinctione, quam deinde circa illas constituat intellectus. Secundo si in diuina essentia est multiplicitas rationum

etiam

etiam secundum intellectum distinctarum necessariò sequitur vnum de tribus, nempe rationē Deitatis habere se ad alias, vel tanquam rationem disparatam, vel tanquā rationem vnā ex illis omnibus integratam, vel tanquam substratam eisdem: nullum ex his dari potest: ergo perfectiones diuinæ nō distinguuntur secundum rationes absolutas in essentia diuina: Non posse dari primum ostēdit, quoniam alioquin perfectiones diuinæ nō dicerentur de Deitate in abstracto, sed solum denominatiuē, itē quia Deus nō esset sapiens in quantū Deus, cum nō esset sapiens per rationem Deitatis, sed per rationē sapientiæ disparate oppositam Deitati. Non secundum, quoniam eo dato diuinitas non esset simplex, & vna: imò haberet vnitatem instar acerui, quoniam rationes illæ concurrere nequeunt ad rationem vnā continuitate, aut compositione: non simplex quoniam simplicitas excludit omnem pluralitatem, & actū, & potentia: nō vna continuitate, quoniam in Deo non est quantitas continua: non vna vnitatem compositionis, quoniam hæc supponit rationem actus, & potentiæ, quæ Deo repugnant. Non denique admittendum est tertium, tunc enim diuina essentia esset imperfectior omnibus illis rationibus, & perfecteretur ab omnibus, & consequenter respectu ipsarum conciperetur quasi materialis: quæ omnia repugnant summæ essentia. Tertio quod probatum fuerit in vna perfectione, dicendum est in aliis: At velle diuinum exempli gratia non addit vllam rationem supra deitatem: ergo neque aliæ perfectiones. Assumptionem ostendit à simili, nam certum omnino est deitatem æque intrinsece esse volitionem, ac est illa qualitas creata voluntatis humanæ, quæ homo dicitur formaliter volens: ad rationem vero huius qualitas volitio nihil addit intrinsece, quamuis addat extrinsece transitū super volitum: Quapropter sicut hæc qualitas resolui nequit in duas rationes intrinsecas absolutas, quarum vna exprimat propriam quidditatem, altera quidditatem volitionis, ita neque in diuinitate erunt duæ rationes, quarum vna sit quidditas volitionis, alia quidditas Deitatis.

VI. Vt constet in quo sit controuersia, tria distinguere possunt in hac sententia Aureoli: primum est, perfectiones diuinas non distinguere per absolutam ex natura rei, nec esse extrinsecas, sed intrinsecas essentia diuinæ: secundum, distinguere per connotata: tertium denique, non distinguere per rationes absolutas re ipsa indistinctas, & ratione ratiocinata differentes: In duobus primis con-

sentio cum Aureolo, non enim admitto distinctionem formalem ex natura rei cum Scoto, neque nego diuersam connotationem sat esse ad diuersitatem nominum, & conceptuum, ita vt non sint synonyma: & consequenter vt si vnum de altero affirmetur, non sit identica propositio, sed sufficienter diuersa ad vitandam contradictionis veritatem: dissentio tamen quo ad tertium, & quamuis Aureolus plures attributorum modos assignet, tamen difficultas solum consistit in positiuis: nam negatiua, & ea, quæ partim positiua, partim negatiua sunt, ex parte, quæ sunt negatiua, distinguere negationibus certum est. An vero, quæ positiua sunt, distinguantur sola connotatione, id vero est in controuersia. Pro qua obseruandum est, duplicem posse assignari modum distinctionis penes connotata: Alter præter connotationem termini extrinseci nullam omnino rationem formalem positiuam importat ex parte præcipui significati, sed solum id ipsum formaliter significat indicando connotatum in obliquo: quomodo distinguitur simitas, & curuitas: nam simitas in recto solum curuitatem importat connotando determinatum subiectum, & quæ hoc modo distinguuntur, non habent vllam diuersitatem penes perfectionem, & sublata connotatione non manet imminuta perfectio: Non enim curuitati alterius rei, ex eo, quod non sit simitas, aut naso non inhæreat, deest vlla ratio perfectionis. Alter vero modus utroque nomine connotatiuo ita eandem rem importat, vt immediata ratio obiectiua vtrique respondens sit perfectio eiusmodi, vt si per impossibile altera subiecto deesset, hoc maneret minus perfectum: sicut se res habet in intellectu practico, ac speculatiuo: nā licet vtriusque conceptui respondeat eadem entitas, & quidditas intellectus cum diuersa connotatione ad obiectū operabile, aut speculabile, tamen si fingamus alteram ex his rationibus deesse intellectui, profecto is maneret minus perfectus, ac modo est: hoc autem non aliunde prouenit, quam quia per eiusmodi connotationem designantur duæ rationes obiectiue distinctæ, virtute repertæ in vna, atque indiuisibili ratione essentiali intellectus, quæ non nisi per ordinem, & connotationem ad diuersa obiecta percipi possunt: quemadmodum intellectus ipse, cuius in adæquate rationes sunt, distinguitur ab alijs potentijs per ordinem ad proprium obiectum. Notandum quoque, attributa quædam accipi adæquate secundum totam rationem aliquam attributalem, vt omnipotentia, &

sapientia: quædam inadæquate, & quali partialiter sub restrictione ad determinata obiecta, vt potentia creandi, quæ est idem cum omnipotentia, sumpta tamen sub limitatione ad factionem ex nihilo, scientia rerum naturalium, quæ est idem cum sapientia diuina, restricta tamen ad obiecta naturalia. Denique quædam habent à parte rei plurare, ac ratione specifica distincta, quibus æquipolleant, vt sapientia, ac iustitia, vis productiua leonis, & equi: quædam vero nō habent, exempli causa vis creatiua Angeli, & materiæ primæ, & hæc magna ex parte sunt rationes quasi integrantes vnus rationis attributalis totalis, vt se habet vis creandi ad omnipotentiam.

VII.

Dico primum. Perfectiones attributales positiuæ non distinguuntur connotatione rerū creatarū priore modo sumpta. Fundamentum est, quoniam si quæuis ex illis abesset Deo, is nō esset æque perfectus, ac modo: sed defectus solius connotationis extrinsecæ non arguit minorem perfectionem, vt patet ex dictis: ergo perfectiones diuinæ positiuæ non distinguuntur priore illo modo connotationis. Maior propositio ostenditur, quoniam singula attributa sunt perfectiones simpliciter, quas melius est adesse, quam abesse cuius subiecto: non est autem melius, nisi quia subiectum ijs ornatum perfectius est, quam si iisdem careat. Si quis autem respondeat, perfectiones attributales esse perfectiones simpliciter solum, quo ad significatum precipuum, non vero quo ad connotationem: at vero significatum precipuum, hoc est essentiam diuinam, semper manere, non fugiet vim argumenti. Nam sapientia secundum suam propriam rationem formalem, qua distinguitur à iustitia, ac cæteris perfectionibus simpliciter, & non solum ratione eius, in quo cum cæteris conuenit, est verè, ac propriè perfectio simpliciter, quæ euanesceat dissoluta ratione sapientiæ, quantumuis manet ratio substantiæ, iustitiæ, misericordiæ, ac cæterarum: ergo si consideretur essentia diuina, quatenus est substantialis forma Dei cum reliquis omnibus perfectionibus, absque connotatione ad proprium obiectū sapientiæ, & consequenter absque ratione sapientiæ, desiderabitur aliqua perfectio intrinseca Deo. Nec satisfit, dicēdo sublata illa cōnotatione cōsequenter tolli essentiam: atque adeò sublata ratione sapientiæ, quæ ex ea cōnotatione pendet, tolli aliquā perfectionem simpliciter. Ego enim argumentor ex suppositione impossibili; nimirum quod maneat essentia sublata connotatione, ac

ratione sapientiæ: qui modus argumentandi ad indagandas proprias rationes formales rerum est valde idoneus, & vsurpatus: at vero facta illa hypothesi manet essentia, & sola ratio sapientiæ desideratur, & tamen deest Deo aliqua perfectio positiua intrinseca: ergo quantumuis ea indicetur per connotationem ad obiectum, est tamè formaliter in Deo virtute distincta à reliquis.

Dico secundum, nonnullæ rationes attributales inadæquate non distinguuntur aliter, quam cōnotatione rerum creatarum posteriore modo sumpta, alia vero absque vlla creaturarum cōnotatione distinguuntur. Prior pars ostenditur, quoniam eiusmodi rationes præcisè acceptæ distinguuntur ratione ratiocinata: non per æquipollentiam, non per separabilitatē saltem non mutuam: ergo per connotationem. Consequentia patet à sufficiente exclusionē aliarū distinctionū secundum rationē ratiocinatam. Maior propositio est euidentis: quoniam quādo vtraque ratio mutua præcisā per intellectū est re ipsa ens tale, vt per se existeret, ac terminaret conceptum, etsi per impossibile altera nō existeret, nec esset apta terminare conceptum, mutuo distinguuntur ratione ratiocinata: habet enim in re ipsa sufficiens fundamentū intelligibilitatis obiecti, in quam directō fertur conceptus: nec quō ad illam pendet ex consideratione intellectus, vt pendent illa, quæ sola ratione ratiocinante distinguuntur. Assumptio patet ex dictis: nā verbi gratia vis creatiua Angeli, & materiæ primæ nō habet in creaturis plures potentias actu distinctas, quibus æquipolleat omnipotentia diuina, quatenus est productiua Angeli, & materiæ primæ: non distinguitur etiam per separabilitatem saltem non mutuam, nullibi enim reperitur vis creandi Angelum sine vi creandi materiā primā, & vice versa: cū ergo sola resset connotatio, hæc fat erit ad distinctionem rationis ratiocinatæ. Hæc tamen connotatio supponit perfectionem intrinsecam. Si ipsa omnipotentia Dei virtute distinctam quasi partialiter: nam si quouis modo fingantur duo subiecta, vnum cum potentia creandi Angelum præcisè, alterum solum cum potentia creandi materiā primā, vtrumque haberet perfectionem aliquā realem ex natura rei distinctam, quibus æquipolleret vnica potentia Dei. Verum quia non sunt dabiles tales potentie separatæ, idcirco omnipotentia Dei, quatenus productiua materiæ primæ, & Angeli, non dicitur distincta virtute per æquipollentiam, sed per con-

VIII.

notatio-

notationem posteriore modo acceptam. Posterior pars ab omnibus recipitur, & facile ostenditur in amore Dei erga se, & comprehensione sui ipsius: quæ sunt perfectiones diuinæ essentiales in adequatæ respectu caritatis, & sapientiæ, quæ terminantur etiam secundo ad creaturas: prout tamen terminantur ad Deum, qui est obiectum primum, inter se, & ab alijs perfectionibus distinguuntur, non tamen per connotationem creaturarum.

X. Dico tertium: Nonnullæ rationes attributales adequatæ, etsi connotatione creaturarum admittant, absq; illa tamē distinguuntur: ostēditur, nam etsi demus Aureolo æternitatē, & immensitatē importare connotationē ad creaturas, tamē id ipsū, quod connotatione explicatur, quatenus respondet conceptibus, quos de æternitate, & immensitate formamus, formaliter, & intrinsece vēdicat aliquā rationē formale, quam non vendicat, quatenus respondet conceptibus aliarū perfectionū: etenim quatenus respondet conceptui æternitatis, equipollet infinite durationi successiue: quatenus vero respondet conceptui immensitatis, equipollet magnitudini vndeque infinite, & implenti omne spatium, quæ rationes sunt diuersæ, nec includuntur in se inuicem, aut in alijs præcise sumptis: nam si per impossibile fingeretur Deus magnitudine finitus, duratione infinitus, æquipolleret omnī tēpori, nō vero omni magnitudini; itē quāuis concipiatur infinite sapiens, ac iustus, si tamē negetur immensus, aut æternus, æquipollet quidē omni sapientiæ, ac iustitiæ create, nō tamē omni durationi, ac magnitudini: quare æternus, & immensus nō dicitur sola connotatione ad extra, sed propria ratione formali intrinseca, ex qua habet vt respondeat omni tēpori, ac loco: quemadmodū magnitudo creata talitē secundo dicitur per ordinē, & commensurationē ad locū, & nih.ominus ipsa est entitas, & ratio positiua intima corpori. Quin verō etiam si immensitatem, atq; æternitatem nos aliter non intelligamus quam per connotationē ad durationē, magnitudinēq; creatam, tamen ipse in se sunt perfectiones virtute distinctæ, priores rebus creatis: nam creatæ dicuntur per attributionem ad illas, atque adeo supponunt eas constitutas in sua ratione formali prius natura, quam ipsæ etiam secundum esse impossibile intelligantur: id vero, quod præcedit aliud natura, non potest constitui connotatione ad illud: nam quidquid est prius natura alio, habet totam suā rationem formale, priusquam illud sit, aut intelligatur: quod vero

constituitur connotatione ad aliud, non habet propriam rationem formalem, nisi intellecto eo, cuius connotatione constituitur, quare repugnat, vt æternitas, & immensitas, quæ sunt priora natura, quam duratio, ac magnitudo creata, constituentur connotatione ad illas.

Dico quartum: in ijs quoque, quæ non intelliguntur à nobis absque connotatione ad obiecta extrinseca, distinctio non consistit sola connotatione ad illa: Loquor autē de perfectionibus simpliciter, quæ Deo necessario conueniunt: nam q̄ attinet ad actus liberos, est alia difficultas suo loco explicanda. Intelligitur itaq; assertio de omnipotentia, de misericordia, ac iustitia, significatis per modū habitus, & alijs, quæ habent obiecta extra Deū. Hæc est de mente omnium quos referam ca. seq. nu. 4. Ostenditur verō, quoniā in Deo est verē, ac proprie ratio omnipotentia, iustitia, ac misericordia, quatenus sunt perfectiones simpliciter, & sub eadem ratione habet distinctionē, propter quā est intelligibilis, ac nominabilis per conceptus ac voces nō synonymas, ratio verō perfectionis simpliciter in ijs nō consistit in transitu super obiecta, neq; in connotatione ipsorum, sed in entitate absoluta habentē eiusmodi habitudinē: ergo neq; in Deo erit distinctio penes merā habitudinē, & connotationem, sed penes rationē perfectionis absolutæ: Consequentia patet, quoniam alioquin Deus nō haberet ipsammet rationē perfectionū eiusmodi, sed solū aliquid ijs annexū: & quasi extrinsecū. Maior propositio quo ad priorē partē, patet ex tract. 2. c. 5. vbi ex cōmuni sententia ostēdi perfectiones attributales esse vere, ac proprie in Deo, non solum potentia, aut metaphorice. Quoad posteriorem vero probatur, quoniam nisi in Deo sit distinctio rationis secundū proprias rationes illarum perfectionum, non autem secundum solum transitum, & connotationē obiecti extrinseci, ipse non erit verē sapiens, ac iustus. Nam quo aliquid constituitur secundum esse, eo ipso differt, & viceversa: quare si sapientia diuina sola connotatione differt à iustitia, Deus non vendicat propriam, & intrinsecam rationem iustitiæ, ac sapientiæ. Secundō, vt superius ostensum est, nomina attributalia dicunt in Deo certas, ac determinatas perfectiones, non minus cōpletas, & absolutas in suo genere, q̄ sint in creaturis: in his autē sunt perfectiones absolutæ, & distinctæ formalitē secundum propriam rationē formale, & nō solā connotatione ad obiecta, ergo etiā in Deo erunt, nō quidē re ipsa, sed virtute, & secū

IX.

dum rationem distincte. Tertiò, quoniam aliud est rationes aliquas formales distinguere per ordinem ad obiecta, aliud verò distinguere formaliter sola connotatione obiectorum: nam potentia, & habitus naturales distinguuntur per ordinem ad obiecta, & tamen in ipsis est aliqua ratio formalis intrinseca, qua inuicem separantur, & non sola connotatio obiectorum; in habitu quippe iustitiæ, & misericordiæ est aliqua ratio positue intrinseca, quæ intelligitur per diuersam connotationem ad obiecta: similiter ergo in Deo quamuis rationem iustitiæ, ac misericordiæ concipiamus sub diuersa connotatione ad obiecta, subest tamen ratio intrinseca mutuo virtute distincta, quæ non consistit in sola connotatione, sed in positua, ac reali perfectione. Et confirmatur, quoniam modus distinctionis per rationes intrinsecas virtute distinctas non repugnat simplicitati diuinæ: & est perfectior, quam modus distinctionis per sola connotata: ergo hic reiiciendus, ille admittendus est. Prior pars antecedentis ostenditur, quoniam multiplicitas virtualis non repugnat simplicitati: ex eo enim, quod virtus solis contineat eminenter virtutes elementales vnica entitate actu indiuisa, & sola virtute distincta, non est magis composita, quam calor ignis, aut siccitas terræ. Posterior autem pars ostenditur, quoniam distinctio per sola connotata non multiplicat formaliter rationes perfectionis simpliciter, nec ostendit infinitatem discretam perfectionum diuinarum, sicut distinctio virtualis per rationes formales intrinsecas: ergo hic modus perfectionis est perfectior illo. Antecedens constat, nam distinctio per sola connotata ponit in recto vnica rationem obiectiuam, cum infinitudine connotatorum in obliquo: distinctio autem virtualis per rationes intrinsecas ponit in recto infinitudinem rationum formalium conuenientium Deo, & nostro modo intelligendi integrantium vnica rationem adæquatam diuinæ essentiæ, intensiue & extensiue infinitam: Quod verò dictum est de perfectionibus diuinis connotantibus res ad extra cum proportionem, applicari debet ad illas, quæ connotant ad intra, vt se habet amor, & comprehensio sui. est enim eadem ratio.

XI.

Autoritates quas Aureolus pro se adducit non concludunt: nam quamuis nominibus perfectionum diuinarum diuina essentia saltem materialiter significetur, & connotentur creaturæ, non proinde ex-

cluditur alius modus distinctionis, neque is solus astruitur. Ad primum verò fundamentum respondetur, etsi ille modus tueatur plurima eorum, quæ in argumento adducuntur, non tamen idoneè explicare, aut defendere, quomodo perfectiones simpliciter communes Deo & creaturis verè illi conueniant, vt patet ex prima, & vltima assertionem.

Alterum fundamentum est falsum. Ad cuius primam confirmationem respondeo, rationes communes analogas perfectionibus diuinis, & creatis secundum se non vindicare distinctionem actualem ex natura rei, sed solam distinctionem conceptibilitatis cum fundamento in re: & ideo hanc semper retinere etiam in Deo, non verò illam: & ita ex eo, quod in Deo distinguantur, non sequitur actualis distinctio, sed solum secundum rationem. Ad secundum danda est prima pars distinctionis contentæ maiore propositione. Ad eius impugnationem neganda est sequela: quoniam ea, quæ sola ratione distinguuntur cum fundamento in re, non desinunt esse simplicia, & vna, nec habent pluralitatem actualem, sed solum virtuale: cum verò dicitur simplicitatem excludere omnem potentialitatem actu, & potentia, si intelligatur de potentia in ordine ad distinctionem ex natura rei actualem, concedendum est, nihil enim verè simplex est in potentia, vt possit distinguere actu ex natura rei: si verò de potentia in ordine ad distinctionem actualem secundum rationem, negandum: nam cum maximè simplex sit, maximè perfectum, aptum est distinguere actu secundum rationem multipliciter concipientem. Item cum ex eo, quod in Deo non sit vnitas secundum continuationem, aut compositionem, infertur essentiam diuinam non esse vnā, si rationes non distinguantur per sola connotata. neganda est consequentia, quoniam rationes à parte rei indistincte sunt vnā non cōtinuitate, aut cōpositione, sed pura indiuisione, ac simplicitate. Equam non violat multiplicitas secundum rationem. Ad tertium neganda est assumptio: nam essentia diuina, vel sumitur adæquate pro omni perfectione absoluta, quam formaliter, & essentialiter includit, quomodo velle diuinum non est ratio distincta, quasi superueniens essentiæ in sua ratione formali constitutæ, sed quasi ratio inadæquata intrinsece pertinens ad integram, & adæquatam rationem illius: vel sumitur prout à viatoribus concipitur, quasi forma substantialis Dei, fundamentum, & radix attributorum: & hac ratione velle

XII.

intelli-

intelligitur aduenire ipsi, quali proprietatis subiecto, & utroque modo concipitur, ut ratio virtute distincta ab essentia. Ad probationem eiusdem assumptionis neganda est consequentia. Ratio est quoniam sapientia creata propter limitationem perfectionis essentialis intrinsecam continetur certo genere, ac differentia, nec in ipsa reperiri potest duplex quidditas completa: altera, qua est qualitas, altera qua sapientia: nam qualitas determinatur ad ipsam quidditatem sapientiae, per differentiam eius specificam. At essentia diuina utpote pelagus perfectionis immensum, non solum est perfecta in ratione sapientiae, sed in omni ratione perfectionis simpliciter, verbi gratia iustitiae, misericordiae, omnipotentiae, vitae, substantiae: & ideo quamuis à parte rei non sit alia quidditas sapientiae, alia substantiae diuinae, tamen quatenus vnica illa entitas perfectissima formaliter est substantia excellentiore modo, quam creatura, & formaliter sapientia perfectius, quam creata, habet completam rationem quidditativam utriusque, non solum per connotationem extrinsecam, sed per inclusionem formalem, & intrinsecam per modum vnus perfectionis in actu, multiplex autem virtute.

Perfectiones diuinæ distinguuntur virtute.

C A P V T VIII.

I. **D**Vo restant modi distinctionis habentis fundamentum in re, nimirum separabilitatis, & æquipollentiae. Neutrum verò ex his competere omnibus perfectionibus diuinis, probatur primò, quoniam idea in mente diuina non distinguuntur virtute: quoniam non æquipollent pluribus creatis actu distinctis. ut enim vnum æquipollat pluribus, opus est, ut contineat saltem analogice perfectionem plurium, sicut essentia continet perfectionem sapientiae, & iustitiae respondentium iustitiae, ac sapientiae creatae: in rebus autem creatis non est ratio idearum: quare non sunt plura in ordine ad quæ sumatur distinctio virtualis idearum diuinarum. Non distinguuntur etiam ratione separabilitatis: quia omnino impossibile est, ut in aliquo subiecto reperiatur ratio vnus idearum sine ratione alterius: verbi gratia, idea Hominis necessario coniuncta est identice cum idea Angeli, & hæc cum idea Cæli, & viceversa: probatur, quoniam ratio idearum rerum creabi-

lium solum conuenit primæ causæ exemplari: in hac autem rationes ideales, non sunt actu distinctæ ex natura rei: quare distinctio idearum fundari nequit in separabilitate. Idem argumentum accommodari potest omnipotentiae, quatenus habet pro obiecto effectus à solo Deo producibiles, v. g. Angelos, materiam primam, animam rationalem, & similia: nam præcise sumpta, prout terminatur ad singula obiecta specie distincta, habet distinctionem rationis cum fundamento in re: nec tamen illi respondent in creatura plura, quibus æquipolleat: nec in vilo obiecto rationes illæ separari possunt: quare duo illi modi distinctionis adaptari nequeunt omnibus perfectionibus diuinis. Maior propositio patet: nam termini contradictorii etiam sub reduplicatione, non possunt enūciari de eadem re, absque aliqua distinctione: de omnipotentia verò, prout respicit obiecta specificè diuersa, enūciatur termini contradictorii sub reduplicatione: nam quatenus respicit Angelum, est productiua illius, & non Hominis: quatenus vero respicit hominem est productiua eius, & non Angeli. Responderi potest, solam distinctionem rationis ratiocinantis ad hoc sufficere: nam Petrus prout subit vicem prædicati, & subiecti, sola ratione ratiocinante distinguitur, & tamen de ipso possunt enūciari termini contradictorii sub reduplicatione. Verum hac responsione non satis fit argumēto: est enim varietas penes reduplicationem, quæ modo reduplicat rationem, quæ non nisi per intellectum existit, modo eam, quæ est in re: si ratio reduplicata solum sit obiectiue in mente, erit solus distinctio rationis ratiocinantis, ut se res habet in exēplo proposito: nam ratio prædicati & subiecti est purum ens rationis: si verò sit in re, erit saltē distinctio rationis ratiocinatae, ut quando dicitur homo quatenus substantia existit per se, non verò quatenus ens, ratio enim entis, & substantiae in rebus ipsis existunt. At ratio productiua hominis, vel Angeli, est à parte rei in Deo absque operatione intellectus, ergo si sub ea affirmantur termini contradictorii de omnipotentia, dicendum omnino est, ipsam quatenus est productiua hominis distinguere ratione ratiocinata à se ipsa, quatenus est productiua Angeli. Tertio, immensitas, infinitas, æternitas, & aliae perfectiones, quæ soli Deo conueniunt, non sunt vilo modo in diuersis subiectis separabiles: iam enim competere creaturæ: nec æquipollent similibus perfectionibus reperiis in creatura, ut patet: quare dandus est alius modus distinctionis,

qui

Henricus.

qui non sit secundum æquipollentiam, aut separabilitatem. Contra eandem distinctionem per æquipollentiam arguit Henric. quodlib. 5. q. 1. quoniam hic modus distinctionis confundit rationes ideales cum attributibus; eæ verò sunt diuersæ: quoniam rationes ideales non sunt formaliter, sed eminenter illa, quibus æquipollent: rationes verò attributales dicunt perfectiones simpliciter, & formaliter cōuenientes Deo. Sequela Maioris ostenditur, quoniam perfectiones creatæ, à quibus sumitur distinctio diuinarum, sunt secundum modos determinatos, ac limitatos perfectionum diuersarum inter se, & à diuinis. At secundum hoc ipsum sunt participationes perfectionum diuinarum, à quibus tanquam ab ideis exemplantur.

II.

Perfectiones diuinæ, quædam nostro intelligendi modo se habent, vt integræ, atque completæ secundum aliquam rationem formalem, quædam ad instar partium virtualium, quibus priores integrantur. Priores continent omnem modum perfectionis possibilem sub propria ratione formali: hoc modo se habent sapientia, iustitia, omnipotentia: nam sapientia diuina includit formaliter, & intrinsece, quicquid pertinet ad integram, & perfectam rationem sciendi, eodemque modo iustitia, & omnipotentia in suo genere: posteriores continent inadæquate aliquid intrinsece pertinens ad rationes primarias: quemadmodum scientia Dei, quatenus æquipollent Mathematicæ, aut Philosophiæ naturali, continet aliquid intrinsece pertinens ad rationem perfectam sapientiæ diuinæ, non tamen totam, & adæquatam rationem illius. Quemadmodum verò, in rebus creatis consideramus gradus Metaphysicos, & partes integrantes eiusdem compositi, ita concipere possumus in diuinis quædam prædicata instar graduum Metaphysicorum, quorum singula per se non sunt ratio integra, & completa, sed alia in alijs includuntur, vt se habet ratio entis, substantiæ, vitæ, intellectualitytis, quorum priora includuntur in posterioribus, & vltimum significat integram, completamque rationem substantialem: priora verò, respectu eius habet rationem partium Metaphysicarum virtualium; concipere item possumus alia instar partium integrantium virtualium, qua ratione multæ ideæ sunt quasi partes virtuales vnius exemplaris perfectissimi: notitiæ obiectorum specie, vel genere differentiū quasi partes virtuales sapientiæ diuinæ.

III.

Distinctio virtualis non eodem modo

accipitur à Doctoribus. Quidam enim ita illam explicant, vt contineat omnem distinctionem rationis ratiocinatæ, & reciprocetur cum fundamentali: aiunt enim esse illā, qua res indistincta actu potest causare, vel terminare plures conceptus non synonymos. ita Henric. quodlibet. 13. q. 1. & Torr. 1. p. q. 28. ar. 2. d. 1. p. 2. prope finem: sed hæc acceptio est nimis ampla, comprehendit enim etiam ea, quæ per solam connotationem distinguuntur. Alij magis pressè illa dicunt distingui virtute, quæ terminare possunt conceptus formales eandem rem imperfectè repræsentantes. Ita Caietan. de ente, & essentia q. 12. propositione 2. & Ferrariens. lib. 1. cōtra Gentes cap. 35. §. Vnde si queratur, Capreol. in 1. d. 8. q. 4. ar. 1. in fine: Hispanens. q. etiam 4. art. 4. ad 9. ex vltimo loco positus contra secundam conclusionem, Franciscus à Christo distinct. 2. quæst. 3. conclusionem 4. ad hanc acceptionem pertinent etiam illa, quæ per connotationem fundatā in ratione obiectiua, & quæ per solā separabilitatē distinguuntur: plura enim possunt terminare diuersos conceptus præcisos saltē ex altera parte, quæ tamen nō continent eminenter plura actu distincta. Alio modo magis proprie accipitur distinctio virtualis siue eminentialis, vt alij loquuntur, pro ea, quæ cōuenit perfectioni simplici æquipollenter, vel eminenter cōtinenti perfectiones in rebus alijs actu ex natura rei distinctas: quæ pacto vt vtar exēplo inducto à D. Thoma lib. 1. cōtra Gentes c. 31. sol vnica virtute continet calorem, ac siccitatē, quæ est duplex qualitas in igne. Potest verò distinctio virtualis ita accepta describi in hunc modū: distinctio virtualis est multiplicitas virtualis perfectionis simplicis æquipollenter, aut eminenter, cōtinentis perfectiones similes in rebus alijs ex natura rei distinctas: ita Clypeus Thomist. Caietan. Iauell. Fons. Moli. Fracis. à Christo, & ante ipsos Gofred. Durand. & And. de Nouo Castro, quæ in locis mox citandis: ideoque non recte dictum est à Petro Ledesm. q. 2. de diuina perfectione ar. 2. Caietan. fuisse primum inuentorē huius distinctionis: & quamuis Castro Nouo dicat in Deo dari eiusmodi distinctionē, quia æquipollent infinitis perfectionibus absque imperfectione, hoc tamē absolute non requiritur ad distinctionē virtuale, q̄ in alijs quoque datur præter quā in Deo. Hæc æquipollentiam distinctionis virtualis aliqui Doctores explicant per ordinē ad diuersos conceptus, dicentes, ea distingui virtute, quæ æquipollent pluribus ex natura rei actu distinctis in facultate mouendi intellectu ad diuersas

Henricus.
Torres.

Caietan.

Ferrariens.

Capreol.

Hispanens.

Franc. à Chr.

S. Thom.

Clypeus.

Caietan.

Iauellus.

Molin.

Fracis. à Chr.

Gofred.

Durand.

Non. Castro.

Ledesm.

diuersas conceptiones. ita Toletan. statim referendus.

IV.

Dico primum: Perfectiones diuinæ nostro intelligendi modo integræ, atq; completæ, secundum propriam rationem formalem distinguuntur inter se, & ab essentia virtute, siue eminenter. Hæc asseritur à Goffredo apud Aureol. in 1. d. 8. q. 3. art. 1. vt patet ex penultimo argumento pro ipsius opinione allato. Durand. d. 2. q. 3. numero 15. Toletan. d. 8. q. vn. art. 2. Conclusionem 4. Andr. de Nouo Castro. d. 32. q. 1. §. Ad confirmationem, ad tertium argumentum Clyp. Thomist. q. 10. in Porphy. art. 1. ad 3. contra 2. conclusionem. Caietan. de ente, & essentia, q. 12. in fine. Francisco à Christo loco citato. Iauell. 12. Metaphys. q. 19. in fine. Fonséc. 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 3. Molin. 1. p. q. 28. art. 2. disp. 2. conclusionem 3. & eiusdem sententiæ sunt Doctores asserentes, rationes diuinorum attributorum distinguuntur, quia species, per quas agnoscuntur, desumuntur à diuersis perfectionibus, quæ reperiuntur dispersæ in creaturis, vel conceptus attributorum, ita imperfecte representare diuinas perfectiones, vt creaturæ, in quibus similes reperiuntur: quos omnes retuli tract. 2. cap. 8. num. 4. hi enim manifeste supponunt dari hanc distinctionem virtualem, & per æquipollentiam ad perfectiones creatas actu distinctas. Conclusio ostenditur: perfectiones diuinæ integræ, & totales in duo genere respondent pluribus entibus ex natura rei distinctis, & continent multo perfectius rationes formales perfectionis, quam ipsa essentia creata: ergo distinguuntur virtute, & eminenter. Consequentia patet ex dictis: antecedens est de mente D. Augustini lib. 15. de Trinitate cap. 17. vbi sic habet. *Nec distent in eis, scilicet personis diuinis ista, sicut in nobis aliud est memoria, aliud est intelligētia, aliud dilectio, siue charitas, sed vnum aliquid sit, quod omnia valeat.* Ratione verò ostenditur quo ad priorem partem: nam in primis ratio essentia, siue substantia in nobis reperitur actu distincta à perfectionibus attributalibus, vt per se patet: alia enim est ratio substantia creata, alia ratio sapientia, iustitia, & aliarum perfectionum accidentalium, & ita Deitas, vt eminenter continens substantiam creatam, & perfectiones eius accidentales, vendicat distinctionem virtualem. Itē perfectiones creatæ accidentales re ipsa differunt in creaturis, verbi gratia, sapientia, iustitia, misericordia: ergo vnica perfectio Dei, quatenus singulis æquipollet, admittit distinctionem virtualem, & quamuis æternitati, immensitati, & infi-

nitati non videatur respondere aliquid in creatura, respondet tamen suo modo: immensitati enim respondet quantitas commensurabilis loco, æternitati duratio secundum existentiam, infinitati quantitas virtualis perfectionis vnus cuiusque rei. Posterior pars antecedētis est per se nota, nec indiget probatione: omnis enim ratio formalis perfectionis simpliciter communis Deo, & creaturæ, multo perfectius est in Deo tanquā in fonte omnis perfectionis: quare sicut ratio sapientia in nobis est perfectio absoluta, ac determinata secundum esse, actuale distincta ex natura rei à ratione misericordia, iustitia, ac ceterarum: ita ratio sapientia in Deo est perfectio absoluta, ac determinata, virtualiter distincta à ratione misericordia, ac ceterarum. Ex quo magis elucet modus huius distinctionis virtualis: sic enim se habent perfectiones diuinæ quo ad proprias rationes formales, sic singulæ nostro modo intelligendi tribuunt Deo suum esse formale, ac si essent ex natura rei distinctæ, ita vt Deus verè per misericordia rationem sit misericors, ratione iustitia iustus, & sic in ceteris. Nam si per impossibile fingatur abesse reliquæ omnes, & misericordia tantū manere, ab ea verè diceretur misericors. Ex hac itaque æquipollentia eminentiali dicuntur perfectiones diuinæ distinguuntur virtute.

V.

Dico secundum. Ex perfectionibus quasi partialibus, quædam distinguuntur virtute, non tamen omnes, sed quædam ex connotato, quædam ratione separabilitatis. Prima pars constat, quoniam sapientia diuina quatenus æquipollet diuersis scientiis naturalibus, & diuersis actibus singularum, admittit distinctionem virtualem: nam sub ea ratione, qua comprehendit omnem quantitatem continuam, ac discretam, & omnes ipsarum proportionem, æquipollet, imò & superexcellit omnibus scientiis Mathematicis, & sumpta sub eadem præcise ratione non æquipollet Metaphysicæ: & ita virtualiter distinguitur à semetipsa, quatenus æquipollet alijs, atque alijs scientiis creatis. Idem quoque patet in omnipotentia, quatenus æquipollet diuersis potentijs naturalibus creaturæ. Secunda pars ostenditur, nam ratio substantia, ac vitæ substantialis, sunt quasi partiales respectu essentia diuinæ, vt est forma substantialis Dei: & nihilominus non distinguuntur virtute ad modū explicatū. quamuis n. in rebus creatis sint quædā substantia vitæ expertes, alię participes, & vtrisque æquipollet essentia diuina

diuina eminentia suae perfectionis, nihilominus cum ratio substantiae, ac vitae non se habeant tanquam duae perfectiones disparatae, sed una sit de ratione alterius, & utraque reperiatur in substantia viuente, perfectio ipsi aequipollens non censetur aequipollere duabus perfectionibus ex natura rei distinctis: neque ad id sufficit, ut in diuersis substantiis ex natura rei distinguantur: alioquin ipsa quoque ratio vitae distingueretur virtute, ex eo, quod in creaturis diuersis sit vita ex natura rei distincta. Quod euidentius apparet in ratione substantiae, & entis: nam quia ens, & substantia non distinguuntur a parte rei, tamen in accidentibus separata sit ratio entis a ratione substantiae, non proinde in Angelo ratio entis, ac substantiae distinguuntur virtute. Eodem modo philosophandum de reliquis omnibus perfectionibus diuinis quasi partialibus, quibus non respondent in creaturis aliae distinctae actui, ut se habet potentia creandi Angelum, materiam primam, gratiam, & similia. non enim illi respondent in creatura vllae potentiae actiuae ratione aliqua similes, quibus aequipolleat diuina potentia, & possit dici quatenus est productiua gratiae, virtute distingui a semetipsa quatenus est creatiua Angeli: Ex quo etiam patet tertia eiusdem assertionis pars, nam ex connotatione effectuum, quos continet omnipotentia, sumitur distinctio eiusdem a se fundamentalis, de qua dixi capi. praecedent. numero 8. Denique quarta facile constat, quoniam ratio substantiae, vitae, & intellectualitatis, in Deo distinguitur ratione separabilitatis in diuersis subiectis. In creaturis enim reperitur ratio substantiae sine ratione vitae, & ratio vitae sine ratione intellectualitatis: ex quo plane constat, omnes has etiam in Deo esse conceptibiliter diuersas, & habere fundamentum in re distinctionis actualis, quam sortiuntur ex operatione intellectus: si enim substantiae, qua substantiae, non repugnat separari re ipsa a ratione vitae, multo minus repugnat separari secundum apprehensionem intellectus. Ex quibus omnibus constat omnia attributa tam adaequata, quam partialia, distingui virtuali distinctione in secunda acceptione a Capreol. Hispal. Caietan. & Ferrariens. numero 3. explicata, omnia enim sunt apta terminare diuersos conceptus, adaequate representantes eandem rationem obiectiuam.

VI.

Contra hanc assertionem obijcitur, quoniam una ratio specifica, absque vlla distinctione etiam virtuali potest habere

re ordinem ad plures actus, & obiecta re ipsa distincta specie. At vero perfectiones diuinae primariae, & quasi totales, singulae habent in Deo propriam, & quasi specificam rationem, qua distinguuntur a creatis: ergo non admittunt distinctionem virtuales plurium rationum sibi intrinsecarum, quantumlibet conotent effectus, aut obiecta distincta ex natura rei. Maior proposito ostenditur in potentijs sensitiuis: sunt enim singulae re, ac ratione distinctae, & tamen eliciunt plures actus, & versantur circa obiecta materialia specie diuersa: idemque patet in intellectu, ac voluntate, quorum uterque praeter ordinem ad plures actus, & obiecta specie diuersa, aequipollent etiam pluribus potentijs inferioribus: nempe voluntas utrique appetitui, intellectus sensibus omnibus externis, & internis: nec tamen ratione huius connotationis, aut aequipollentiae sortiuntur vllam distinctionem virtuales. Assumptio vero est euidentis: nam omnipotentia diuina habet vnicam rationem quasi specificam, imò indiuidualem, quam intelligimus ex habitudine ad obiectum eius formale, nempe ens possibile, idemque in sapientia, & quouis alio attributo primario.

VII.

Propter hoc argumentum quidam recentiores inter sola attributa primaria agnoscunt virtuales distinctionem, negant vero in quolibet, prout diuersimode comparatur ad diuersa obiecta, quae respicit, vel ad perfectiones inferiores ordinis, quibus aequipollent. Immerito tamen & contra eos, qui hanc distinctionem virtuales inuenerunt. Nam plerique ad eam explicandam vtuntur exemplo petito a virtute solis: quae una cum sit, continet eminenter plures virtutes ignis: & tamen illa vnica virtus solis habet suam rationem specificam re ipsa indiuisibilem, sumptam a suo obiecto; Item ratio superior, & inferior, intellectus practicus, ac speculatiuus, distinguuntur ratione ratiocinata, & nihilominus re ipsa sunt vna, atque indiuisibilis potentia intellectiua. Ex quo patet, indiuisibilitatem realem secundum vnicam rationem specificam, sumptam ab vna ratione formali, obiecti non impedire distinctionem fundamentalem, si adsit, vel aequipollentia plurium ex natura rei differentium, vel connotatio ad diuersa. Et ita quamuis singula attributa primaria, & quasi totalia, secundum adaequatam rationem sint vnus specifica, imò indiuidualis essentiae, tamen sub ea ipsa patiuntur distinctionem rationis ratiocinatae, siue per aequi-

æquivalentiam, siue quouis alio modo. Etenim ipsa quoque diuinitas adæquate sumpta, est vna simplicissima, specifica, imò singularis ratio: & tamen id non obstat, quo minùs admittat distinctionem virtualement aliarum rationum ipsi intrinsicarum: cur ergò quæuis alia ratio attributalis primaria, si adit similis æquipollentia, aut connotatio, non patietur distinctionem virtualement, rationum quasi partialium eidem intrinsicarum.

VIII. In forma ad argumentum distinguenda est maior. si enim ratio illa specificæ, vel individualiter vna concipiatur absolute in se, absque æquipollentia plurium ex natura rei differentium, vel connotatione ad actus, vel obiecta specie distincta, nõ exercebitur distinctio fundamentalis; quoniam consideratur res prout vna est: si verò præcise concipiatur modo prout connotat, aut continet hæc, modo prout connotat, aut continet alia, absque dubio fortietur distinctionem rationis ratiocinata: quandoquidem sub illis conceptibus habet aliquam distinctionem, non solius rationis ratiocinantis, quia ratio obiectiua vtriusque conceptus est in re ipsa, non facta ab intellectu: si quidem re ipsa omnipotentia diuina, verbi gratia, est creatrix cæli, & Angelorum. Ad confirmationem maioris respondeo, si potentia sensitiva concipiatur diuersis conceptibus præcis, modo prout respiciunt hæc obiecta, modo prout illa, habituras distinctionem rationis ratiocinata: idemque dicendum de intellectu, ac voluntate: quia tamen non est in usu, vt sic concipiatur, aut nominentur respectu quorumlibet, idcirco videntur non fortiri eiusmodi distinctionem, in nonnullis tamen est usus ita concipiendi, ac nominandi, vt patet in allatis exemplis intellectus, & in voluntate quam Theologi modo considerant vt naturam, modo vt liberam: & nihilominus in re est vna indubitabilis, ac specifica ratio potentia naturalis.

IX. Argumenta initio proposita non impugnant absolute distinctionem virtualement, sed quo ad determinatam quædam attributa, quæ licet ita non distinguantur, restat alia capacia eius distinctionis: sed quoniam idea, de quibus agitur in primo argumento, vendicant etiam distinctionem virtualement, negandum est antecedens. Nam idea vel sunt rationes intellectæ in mente diuina, ad quarum similitudinē Deus operatur ad extra: vel ipsa essentia diuina, vt passiuè imitabilis diuersimodè a creaturis.

si priore modo accipiantur, eminenter æquipollent diuersis conceptionibus creatis: si posteriore, æquipollent rebus ipsis quarum ideae sunt: nam essentia diuina, vt imitabilis ab Angelo, superexcellenter respondet entitati, ac perfectioni Angeli, vt verò imitabilis ab homine, respondet eodem modo essentia, ac perfectioni hominis, & sic in cæteris. Ad rationem, qua hoc impugnatur, respondetur, vt perfectio aliqua simplex æquipolleat pluribus, ratione cuius æquipollentia dicatur virtute distinguui, non opus esse, vt ea contineat secundum eam rationem formalem, qua sunt in se ipsis: vt patet in virtute solis, quæ respondet diuersis virtutibus elementorum, calefactiua, desiccatiua, & alijs: nec tamen vis eius calefactiua, est eiusdè rationis cum calore ignis, qui est virtus eius calefactiua, sed sat est vt contineat eminenter. At verò diuina essentia, vt idea rerum eminenter continet omnem entitatem, ac perfectionem ipsarum vsque ad vltimas differentias. Ad secundum dicendum est, potentiam creatiuam huius, vel illius speciei non constituere per se perfectionem aliquam attributalem integram, atque perfectam, sed quasi partialem comparatione omnipotentia, quæ nostro modo intelligendi est ratio attributalis integra in ratione potentia actiua: perfectiones verò quasi partiales non necessariò distinguuntur virtute per æquipollentiam similium creaturarum, vt explicatum est. Nec verò distinguuntur ita per connotata, quasi nihil fundamentaliter distinctum in recto respondeat conceptui vnus, quod non respondeat conceptui alterius. sed quia non est aliud, ex quo possit à nobis intelligi distinctio fundamentalis ipsarum, nisi fortè aliquis eam velit explicare per æquipollentiam conditionalem, nempe quia si per impossibile darentur in rebus creatis diuersæ potentia actiua ad creandam materiam primam, Angelum, & gratiam, omnipotentia diuina ijs omnibus æquipolleret. proinde quatenus continet Angelum tanquam causa efficiens, distinguitur à semetipsa: quatenus continet materiam primam, & creaturas alias specie, vel genere distinctas. Tertij solutio patet ex dictis. illa enim attributa quoad positium, quod important, æquipollent rebus creatis: nempe immensitas locabilitati omnis creaturæ, infinitas quantitati formali, ac virtuali, æternitas durationi. Ad argumentum Henr. neganda est maior: & ad eius confirmationem respondeo, hoc discrimen esse inter rationes attributales, & ideales respectu rerum creaturarum, quod

ideales respondent toti naturæ, & quidditati rei secundum omnes rationes ipsius, siue sint perfectiones simpliciter, siue non: nam lapis secundum propriam rationem specificam non est perfectio simpliciter: & nihilominus respondet illi in mente diuina propria idea ipsius: non respondet autem vlla ratio attributalis: quoniam hæc solum respondet rebus, quatenus habent rationem perfectionis simpliciter; & ita, quamuis omnis perfectio creata respondens perfectioni attributali, respondeat etiam ideali, non tamen omnis respondens ideali sub omni ratione, qua respondet illi, respondet etiam attributali, vt constat exemplo lapidis, & plurium aliorum: ex quo prouenit, vt ratio idealis non necessario conueniat formaliter cum ideato in ratione analogica, secundum proprium nomen ideati, ratio verò attributalis necessario conueniat cum creaturis, per quarum æquipollentiam distinguitur ab alijs rationibus attributalibus.

De subiecto, ratione, & causa multiplici-
tatis diuinorum attri-
butorum.

CAPVT IX.

I. **E**xplicata distinctione fundamentali perfectionum diuinarum, reliquum est vt ad actuale explicandam accedam. Ea verò, vt sæpius indicatum est supra, consistit in multiplicitate esse intellectus vnius obiecti simplicis. Vt verò exactè intelligatur, agendum est de subiecto, de propria ratione, tum demum de causa eius multiplici-
tatis. Quod attinet ad subiectum, perspicuum est, & à Sancto Thoma in i. d. 2. q. vn. articul. 3. ad 4. & 5. & alijs Doctoribus communiter assertum, multiplici-
tatem, in qua fundatur distinctio rationis, esse subiectiuè in intellectu: fundamentum est, quoniam non est in obiecto: alioquin esset multiplex, ac distinctum re ipsa, non autem secundum rationem: ergò in intellectu. Patet cõsequenter quoniam multiplicitas, secundum quam res actu distinguitur, fundari debet in aliquo esse ipsius: non est autem nisi duplex esse, nimirum reale, & intellectum: ergò si multiplicitas actualis distinctionis secundum rationem non est subiectiuè in obiecto, erit in intellectu.

II. Quod verò attinet ad propriam rationem eius multiplici-
tatis, dubiū est vtrum debeat esse realis, an verò sufficiat virtualis. Hanc sufficere existimant Doctores, qui dicunt attributa sortiri distinctionem

rationis ab æterno per cognitionem intellectus diuini absque villo ordine ad intellectum creatum. Ita Henric. in sum. art. 51. q. 1. art. 68. q. 5. ad argumenta, & quodlibet. 5. q. 1. & eum secutus Gulielm. Varro apud Aureolum in i. d. 8. q. 3. art. 1. Ratio dubitandi est, quoniam vt ait Caietan. de ente, & essentia, q. 12. ad 3. non est contra philosophiam, asserere distinctionem causari actualiter per actum intellectus diuini: distinctio verò actualis necessario supponit multiplici-
tatem propriam, tanquā fundamentum: at verò intellectu diuino non sunt plures actus re ipsa, sed solum virtute distincti: ergò ad actualē distinctionem rationis fat est multiplicitas conceptuum virtualis. Et cõfirmatur quoniam relatio non existit absque proprio fundamento: at verò in mente diuina dari de facto ab æterno relationē distinctionis inter attributa ca. vlt. ostenditur: ergò etiā datur multiplicitas secundum esse intellectum necessaria ad relationem: non actualis, vt patet: ergo sufficit virtualis. Secundò, idē diuinæ consistunt in actu mentis diuinæ concipientis essentiam, vt multipliciter imitabilem: & tamen de cõmuni sententia sunt, ac dicuntur multa, & consequenter distincta: ergò multiplicitas præuia distinctioni actuali non necessario debet esse actualis, aut realis: sed sufficit, vt sit virtualis.

Nihilominus dicendum est, necessariam esse multiplici-
tatem actuale, conceptum ad distinctionem rationis diuinorum attributorum. Est communis sententia, vt fatetur Henric. in sum. art. 32. qu. 4. lit. S. Illam verò supponunt, quotquot eatenus concedunt, Deum videre ab æterno distinctionem diuinorum attributorum, quatenus cognoscit distinctionem, quam habet in ordine ad diuersos cõceptus, quos intellectus creat⁹ de ipsis formare potest: ita verò docent Richar. in i. d. 2. art. 1. q. 3. art. 4. Tolet. d. 8. q. vn. art. 4. ad 2. Scoti cont. 3. cõ-
clus. Capreol. q. 4. art. 2. ad 9. Godofredi. cont. 2. conclus. Hispanens. q. 4. art. 4. ad 6. & 16. cont. 1. conclus. Moli. 1. p. q. 28. art. 2. d. 3. conclus. 3. 4. & 5. Consentiunt, qui dicunt rationē fundadi esse rationes formales obiectiuas, volunt enim sumi in ordine ad plures cõceptus, ita Heruēu. quodlibet. 8. q. 1. & chon. in i. d. 2. q. 2. art. 4. §. 1. Fundamentum est: quoniam ita se habet multiplicitas actualis secundum esse intellectum ad ipsum esse, sicut multiplicitas actualis secundum rem ad esse reale. Vt verò aliquid distinguatur actu secundum esse reale, non sufficit multiplicitas virtualis ipsi⁹, sed omnino requiritur actualis: ergo etiā vt sit actualis
distin-

Henric.

Varro.

Caietan.

II.

Henric.

Richard.

Tolet.

Capreol.

Hispan.

Moli.

Heruēu.

Bacbon.

S. Thom.

distinctio secundum rationem, requiritur multiplicitas actualis ipsius esse interioris, siue intellectus: atque adeo cum conceptio quævis indiuisa actu, qualis est diuina, & beata, non habeat actu multiplex esse intellectuale, fieri nequit, ut secundum eam, obiecta alioquin simplicia dicantur verè distincta actu secundum rationem. Nam si ratio ipsa est actu indistincta, quomodo secundum eam denominari potest obiectum actu distinctum. Porro Caietan. non loquitur de distinctione sumpta pro ipsa multiplicitate rationum formalium: hæc enim esse in mente diuina repugnat non minus fidei, quam philosophiæ: & hoc ipsum indicat Caiet. ibidem, cum dixerat Deum non videre perfectiones suas ab æterno distinctas, hoc est, habere ab æterno actusalem multipliciter, & distinctionem secundum esse intellectum: quia si in mente diuina non est talis multiplicitas, loquebatur itaque de distinctione formaliter sumpta pro relatione, quam resultare per actum diuinum comparatum, non solum non repugnat philosophiæ, sed etiam verissimè est, ut c. ult. dicā. Ad confirmationem ex hoc ipso sumptā respondeo, fundamentum proximum relationis distinctionis secundum rationem, non esse simpliciter ipsam multipliciter actusalem conceptum, sed conceptionem comparatiuam vnius cum altera: ea verò, comparatio verè fit ab intellectu diuino inter attributa, quæ fusiùs explicabitur c. ult. huius tractatus. Ad secundum respondeo, In ideis diuinis considerari posse duplex significatum: nempe materiale, quod est vnicus conceptus essentialis multipliciter imitabilis, & formale, quod est respectus imitabilitatis passiuus: & licet prius non sit actu multiplex, est tamen posterius, ratione cuius dicuntur plures ideæ, ut patet apud Diuum Thomam 1. p. q. 15. art. 2. ad 3. & 4.

IV. His positis dubium est, quod non sit fundamentum, siue causa immediata huius multipliciter actualis rationum formalium, sub quibus diuina attributa distinguuntur actu secundum esse intellectum. Ea verò non aliunde potest provenire, quam ex causis per se intellectibus: quæ tres sunt in vniuersum, scilicet obiectum, medium cognoscendi, hoc est species intelligibilis, vel aliud supplēs locum illius, aut denique intellectus. Ad obiectum recurrit Henric. in sum. art. 51. q. 3. & quodlibet. 5. q. 1. litera S. nempe ad immensitatem diuinam esse, quod est tam secundæ intelligibilitatis, ut possit causare, ac terminare multiplices conceptus non synonymos. Id verò probari potest, quoniam mul-

tiplicitas secundum esse intellectum, respondet multipliciter secundum esse intelligibile, & viceversa: & impossibile est dari multipliciter obiectiuam secundum esse intelligibile, cui non respondeat multipliciter formalis secundum esse intellectum: quare seclusis cæteris omnibus, & considerata solum immensitate entitatis, & intelligibilitatis diuinæ, datur sufficiens ratio multipliciter, ac distinctionis actualis secundum esse conceptum.

Alij addunt necessariam esse finitudinem, siue limitationem intellectus secundum vim intelligendi. ita Albert. in sum. tract. 14. quæst. 59. m. 4. particul. 1. in corpore, quod verum esse dicit secundum Philosophiam, & Theologiam. Sanctus Thomas in 1. d. 2. quæst. vn. art. 3. 4. p. articuli. Petrus de Tarantasia apud Carthusianum q. 2. Aegid. 1. p. distinctionis quæst. 3. art. 3. Richard. artic. 1. q. 3. art. 3. Heruæus quodlibet. 3. quæst. 3. art. 2. & quodlibet. 8. quæst. 1. Goffred. quodlibet. 7. quæst. 1. apud Aureolum in 1. d. 8. quæst. 3. art. 1. Argentin. dist. 6. quæst. 1. art. 4. Capreol. d. 8. quæst. 4. art. 1. conclusionem 2. & 4. & art. 2. ad 15. contra 2. conclusionem & ad 2. 3. & 4. contra 2. conclusionem. Clypeus Thomistarum q. 10. in Porphyrium art. 1. conclusionem 2. Syluest. in conslat. qu. 13. art. 7. §. 8. in fine. lauell. 12. Met. q. 19. art. 2. post 2. conclusionem. Hispal. in 1. d. 8. q. 4. art. 3. Notabil. 2. & art. 4. ad 5. principale Aureoli contra 2. conclusionem. Sonci. q. etiam. 4. conclusionem 6. Probatur verò: nam quando plures causæ concurrunt ad aliquem effectum, in illam refundenda est imperfectio illius, quæ deficit, & non exæquatur concursui alterius: cum vero ad intellectum perfectionum diuinarum concurrat essentia diuina, ut obiectum, & intellectus nonster, ut potentia vitalis, tota causa cur non gignatur vnicus conceptus perfectus, & adæquatus intelligibilitati essentiali, est imbecillitas intellectus, cuius lumen est valde improportionatum essentiali. Et ex eadem causa provenit multipliciter actualis rationum formalium, quoniam conatur pluribus intellectibus apprehendere id, quod vnica non potest.

Alij addunt præterea diuersitatem medij. Ita S. Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 35. opuscul. 9. q. 2. & 3. & q. 7. de potentia, art. 6. Aegid. in 1. d. 22. q. 2. Richard. q. etiam 2. Capreol. d. 8. q. 4. art. 1. conclusionem 2. & 3. Tarantaf. Hispalens. & Clypeus, ubi supra. Id verò probatur à diuersitate, quæ interuenit inter modum concipiendi viatorum, ac beatorum. Nam beati vnico tan-

V.

Albertus.

S. Thom.

Tarantaf.

Aegid.

Richardus.

Heruæus.

Goffred.

Argentin.

Capreol.

Clypeus.

Syluest.

lauellus.

Hispal.

Notabil.

Aureoli.

Sonci.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

Sancinas.

tum conceptu attingunt essentiam diuinā, quam vident sicuti est, viatores autem habent multiplices conceptus: id verò non provenit ex alia radice, quam ex diuersitate medij cognoscendi: ergò hæc per se facit ad multipliciter, ac distinctionem actuale secundum esse intellectū. Vtraque pars maioris est vera, & communiter recepta à Theologis, qui de priore interpretantur illud Zachariæ c. vlt. *In illa die erit Dominus vnus, & nomen eius vnum*: quia scilicet beati vnico conceptu percipient Deum sicuti est, & sicut percipient, ita poterunt nominare: & tunc nomen illud, & cōceptus vnicus illi respondens significabunt, quidquid viatores pluribus conceptionibus apprehendunt. Assumptio vero est euidens, quoniam inter viatores ac beatos non est discrimen ex parte obiecti, vel intellectus, sed solum ex parte speciei, quoniam viatores vtuntur rebus creatis, vel etiam speciebus ad intelligendas perfectiones diuinas: beati verò vident per essentiam diuinam, quæ est vnica, & simplex in repræsentando.

Zach. vlt.

VII.

Eam verò sententiam, quæ causam constituit in infinitate intelligibilitatis diuinæ, & intellectus nostri imbecillitate, siue finitudine, reijcit Ocham. in 1. d. 2. q. 2. lit. G. & impugnat Aureolus d. 8. qu. 3. art. 3. dum agit contrā primam opinionem. Primò, quoniam nō minus infinita est diuina realitas, quam formalitas secundum rationē: æquē enim illimitatus est Deus secundum rem, ac secundum rationem formalem; sed non obstante infinitate realitatis diuinæ tota res Deitatis percipitur vno conceptu, nec particulatim attingitur per plures: ergo etiam non obstante infinitudine perfectionis diuinæ, tota poterit vna conceptione apprehēdi. Secundò, si infinitudo essentiae, & limitatio intellectus esset causa proxima distinctionis, etiam singula attributa distinguētur ratione: hoc autem est falsum, quoniam cōmuniter assignantur tanquam rationes non distinctæ etiam secundum rationē: ergo nō provenit distinctio actualis ex causa tradita. Sequela maioris ostenditur, quoniam singula quoque attributa sunt infinita in suo genere, nec intellectus noster potest ea adæquate percipere: quare de singulis formare poterit conceptiones inadæquatas, & constituere in ipsis distinctionem rationis: tertio, si ex limitatione intellectus nasceretur multiplicitas conceptionū, sequerentur duo absurda: alterum est, intellectum, quo fuerit minus perfectus, eo concipere debere plures perfectiones, & formare plures conceptus at-

Ocham.
Aureolus.

tributales de Deo: alterum, omnes conceptus diuinarum perfectionum, quos in via habemus, esse eiusdem speciei. Sequi primum constat, quoniam multiplicata, vel intensa causa multiplicatur, aut intenditur effectus: ergò si limitatio intellectus est causa concipiendi perfectiones diuinas sub diuersis rationibus, maior limitatio erit causa concipiendi sub multo pluribus. Sequi secundum patet: quoniam quādoque est multiplicatio conceptuum propter limitationem concipientis, omnes eiusmodi cōceptus sunt eiusdem rationis: vt patet in vidētibus eundem candorem magis ac minus clarè, quorum visiones sunt eiusdem rationis specificæ: item in beatis, quorū visiones sunt eiusdem speciei: & nihilo minus est varietas secundum maiore, vel minorem gradū: esse vero vtrūque absurdum, patet: primum, quoniam Angelus inferior formaret plures conceptus attributales Dei, quam superior; & homo, quam Angelus; & rusticus, quam Theologus: secundum, quoniam conceptus attributales sunt diuersæ rationes obiectiuæ, & saltem in nobis viatoribus specie distincti, vt per se patet.

Causa effectus potest esse adæquata, & inadæquata: inadæquata, quædam est radicalis, & per se primò, ac necessariò requisita: alia quasi secundaria: quæ iterum secari potest in omninò necessariam, & in sufficientem. omninò necessaria est, sine qua non datur effectus: sufficiens est, quæ posita consequi potest effectus, qui etiam absq; illa dari potest. Obseruandum quoque est, hic nō ex instituto disputari vtrū, aut cur, in vita dari nequeat vnicus conceptus Deitatis in se. de hoc enim alibi agendum est: sed cur dentur multi, in quibus perfectio diuina habet multiplex esse intellectum, & consequenter distinctionem rationis actuale.

Dico primum, Infinitas essentiae diuinæ non est causa adæquata, est tamen radicalis per se primo, ac necessariò requisita ad multipliciter actualem rationum, à quibus perfectiones attributales denominantur actu distinctæ. In priore parte, quæ est cōtra Henri. conueniunt omnes ferè Doctores, qui præter infinitatē intelligibilitatis obiectiuæ diuinæ essentiae exigunt finitudinem intellectus, & nonnulli diuersitatem medij. Ea verò facile probatur: nam, si esset causa adæquata, cauaret eundem effectum respectu cuiusvis intellectus: non causat autem respectu diuini, vt per se patet. Dei enim intellectio habet eandem vnitatem, ac simplicitatem, quam vendicat

essentia

VIII.

IX.

essentia diuina: quare sola immensitas entitatis, ac veritatis diuinæ non est satis ad causandam multiplicitatē, ac distinctionē actualement rationum formalium. Posterior pars est de mente omnium quos retuli numero 5. & 6. & facile suadetur: nam, sicut esse intellectū pendet ab obiecto, ita multiplicitas actualis eiusdē esse intellectū pendet à multiplicitate saltē virtuali obiecti: hæc verò consistit in perfectione entitatis obiectiue: quæ quo maior est, eo plus intelligibilitatis vendicat: si verò sit infinita, vendicat infinitam: si verò sit finita secundum esse, erit quoque secundum intelligibilitatem, atque adeo carebit aliqua perfectione, quam nos significamus, & intelligimus nominibus, & conceptibus attributibus: & ita nō poterit esse radix omnium rationum, siue conceptionum mentalium, quas formamus de Deo. Ex quo patet infinitatem non esse causam necessariam cuiusvis multiplicatis, siquidē res creatas entitatis, & intelligibilitatis finitæ possumus, ac solemus pluribus conceptibus apprehendere distinguentes animo, quod in re vni, atque indiuisum est: sed solum esse causam eius multiplicatis, quam cōparatione intellectus creati vendicat essentia diuina.

X. Dico secundum. Finitudo intellectus est causa omnino necessaria ad multiplicatē actualement rationū, sub quibus attributa distinguuntur ratione, nō tamen semper sufficiens, etiam coniuncta infinitudini essentiæ: contra verò pluralitas medijs est sufficiens, nō tamen necessaria. Prima pars assertionis, quam tradunt Doctores citati numero 5. & est euidens: nam, si intellectus sit infinitus, adæquabitur obiecto infinito, & cōsequenter habebit vnicum tantū conceptum infinitum adæquatū ipsi obiecto, non vero plures adæquas: quare finitudo omnino requiritur ad multiplicatē actualement conceptionum circa perfectiones diuinas. Secunda, quæ est Doctorum, quos retuli num. 6. ostenditur: quoniam beati in patria efficiunt vnicam simplicem visionem circa essentiam diuinā, in qua non est multiplex esse actuale intellectum, nec distinctio actualis secundum rationem, & tamen ibi cōcurrit infinitas essentiæ cum finitate intellectus: ergo hæc nō est causa sufficiens ad gignendā multitudinem actualement conceptionū, & distinctionem secundum rationē. Tertia, quam iidē Doctores tradunt, facile patet: quoniam idcirco in via formamus diuersos conceptus sapientiæ, & iustitiæ diuinæ, & ceterorū attributorum, quoniam has rationes agnoscimus ex creaturis, & modo quo ipsas cognoscimus:

nempē singulas per diuersas species: contra verò beati vnica visione rationes eas distincte agnoscunt, quoniam essentia diuina instar speciei vnica sua, & indiuisibili representatione vnitur intellectui beatorū. Vltima verò patet, quoniam ipsi beati, vt ostēdam tractat. de natura visionis beatæ, ex vnica illa visione beata elicient plures cōceptus, quibus seorsim apprehendent has, vel illas rationes perfectionū diuinarum: nec tamen ibi interuenit mediū intelligēdi multiplex actualiter, quia visio, ex qua immediate cōceptus illi eliciuntur, est vnica, & simplex, nec ad eos efformandos est necessaria alia species intelligibilis, cuius multiplicitas actualis sit causa plurium conceptuum reipsa differentium.

Dico tertium: causa adæquata huius multiplicatis in actib⁹ naturalibus est, infinitas obiectiua Deitatis, & finitas intellectus creati cum diuersitate medijs, siue specierū: in supernaturalibus autē loco huius potest succedere reflexio supra actū virtute multiplicem: sensus est, quod iuxta naturalem cognoscendi modum cum finitate intellectus coniuncta est limitatio speciei representationis, quæ semper est actu multiplex respectu tot perfectionū diuinarū: at vero quia intellectus potest reflectere supra suū actum, & cogitatione discernere plures rationes in ipso virtute contentas ad plures cōceptus efformandos, nō erit opus actuali diuersitate specierū, sed sat erit multiplicitas virtualis conceptus distincte penetrantis plures rationes obiectiuas. Prior pars deducitur facile ex dictis. Quotiescunque .n. interueniunt illa tria, existit multiplicitas cōceptuum formalium naturalium, & quoties hæc interuenit, requiritur illa tria: ergo aggregatū ex illis est causa adæquata, & reciproca multiplicatis actualis conceptuum naturalium de perfectionibus diuinis. Posterior pars constat ex probatione vltimæ partis secundæ assertionis. Nam beati, etsi nō interueniat vlla multiplicitas actualis specierum, ex vnicō conceptu beatifico elicere possūt diuersas intellectiones circa varias rationes obiectiuas perfectionū diuinarum. At inquires, vis reflectendi supra proprium actū est naturalis intellectui, ergo si reflexio cadēs supra notitiā simplicem, & virtute multiplicē, supplet locum diuersitatis specierū non minus in via, quā in patria, poterimus absq; diuersitate medijs intelligendi plures de perfectionibus diuinis conceptus effingere. Respondeo, si in via haberemus actum vnicum naturalem ita attingētem essentiam, sicut attingit visio beata, idem quoque potuisse fieri: quod

XI.

patet ex apprehensione eorum, quæ vnica specie percipiuntur: si enim vtrō creatura spirituali Deum cōcipiamus, vt spiritum, ex hoc cōceptu possumus elicere tres alios, quibus seorsim cogitemus Deum, vt ens, vt substantiam, vt viuens. Verum quia in via non potest dari vnus cōceptus formaliter repræsentans omnes perfectiones diuinas, idcirco ad eam multipliciter rationum, quas de Deo efformamus, non sufficit sola reflexio, sed opus est multiplici medio intelligendi.

XII. Ad argumentum pro sententia Henri. quatenus dictis aduersatur, respondeo nō requiri, vt multipliciter obiectiue virtuali, qualis est in essentia diuina respondeat actu multipliciter rationum, formalium, siue conceptuum, sed sat esse, vt respondeat multipliciter virtualis: vt videre est in intellectu diuina, quæ re ipsa est æque simplex, ac essentia, & secundum esse intellectum æque multiplex non actu, sed virtute, ac est illa secundum esse intelligibile. Ratio qua ostenditur necessitas intellectus finiti ad eandem multipliciter recte concludit, sicut & illa, qua probatur necessitas multipliciter medijs, si intelligatur de modo cognoscendi naturali, maxime secundum conceptus rectos: non verò si intelligatur de supernaturali, & secundum conceptus reflexos, vt paulò antè ostensum est.

XIII. Argumenta Aureoli, magna ex parte pertinent ad aliam controuersiam, de qua in præsentiarum nō agitur: scilicet vtrum viatores habere possint vnicum conceptum saltem confusum, repræsentatiuum totius intelligibilitatis diuinæ absolutæ: cuius resolutio ad nostram difficultatem nihil facit: quamuis enim admittamus partem eius affirmantem, non tollitur, quo minus possumus de eadem Deitate formare multiplices conceptus non synonymos, quemadmodum, licet habeamus cōceptum simplicem confusum hominis, nō proinde repugnat, vt de eodem homine efformemus plures conceptus pro varietate rationum formalium, vel partium ipsius. Quia verò intellectus, secundum lumen intellectuale adæquatū obiecto intelligibili, sicut diuinus adæquatur suæ veritati obiectiue, illud non ex parte, sed ex toto, non pluribus sed vnica, & indiuisibili visione cōtuetur, è contra fit, vt intellectus limitatus, & improporcionatus obiectiue intelligibilitati eam ex parte, & pluribus intellectibus attingat. Ex quo patet solutio ad primum argumentum, quo nihil aliud probatur, quā perfectionem diuinā posse cōcipi vnica operatione mentali confusa, quod non

tollit, quo minus possit etiā multipliciter apprehendi sub diuersis rationibus formalibus. Responderi etiā potest, cum in diuinis sit idē prorsus realitas & formalitas obiectiua in se ipsa indistincta, nō minus distinguatur secundum rationem realitatem ipsam, quam formalitatem, imò ipsamet entitatem diuinam, quatenus concipitur sub ratione iustitiæ, distinguatur secundum rationem à se ipsa, quatenus concipitur sub ratione sapientiæ.

Ad secundum respondet Argent. in l. d. 6. q. 1. ar. 4. ad 5. assignando disparitatem, quoniā, inquit, sapientia diuina, & quoduis attributū, non est infinitum, essentia verò est infinita. Quæ responsio, si intelligatur de sapientia, prout est à parte rei, est omnino absurda: nō enim est min⁹ infinita, quā essentia: si verò sumatur de sapientia, secundum præcisum conceptum, quo distinguitur ab essentia, ac reliquis attributis, adhuc est falsa: quoniam licet sapientia secundum propriā rationē formalem, nō sit infinita simpliciter in omni genere, est tamē infinita in genere sapientiæ, & oportet reddere causam, cur hæc infinitas non inuehat multipliciter rationum formalium, quæ admodum infinitas simpliciter. Respondetur itaq; in primis cum Capreolo vbi supra ad tertium, Aureoli contra 2. conclusionem, non esse eandem rationem in vnica ratione formali adæquata diuini esse, ac in singulis rationibus attributibus: nam ex parte creaturarum, ex quibus Dei cognitionem accipimus, respondent singulis attributis particulares aliquæ rationes sub vno conceptu determinato, à quo nos possumus formare alium similem de eadem perfectione, prout est in Deo: verbi gratia ex sapientia, & iustitia creata concipimus increatam, in creaturis autē non est vlla ratio, aut perfectio determinata similis quoad rationē formalem Dei adæquatam, cōueniens cum illa in ratione, aut nomine cōmuni analogico, & idcirco intellectus noster limitatus potest percipere singularem particularia attributa, non autē rationē adæquatam Deitatis. Respondeo deinde, si consideremus infinitudinē intensiuam, & extensiuā sapientiæ, & reliquorum attributorum, etiā posse distinguere rationem quasi partialiter, quoniā potest intellectus noster considerare sapientiam diuinam, quatenus extenditur ad obiecta diuersorum generum; in qua consideratione sapientia, quatenus est de reb. spiritualibus, distinguitur ratione à se ipsa: quatenus est de corporalibus, & quatenus est de supernaturalibus, distinguitur à se ipsa, quatenus est de

XIV. Argent.

Capreol.

est de naturalibus. Dixi verò, quasi partialiter, quoniam ratio sapientiæ diuinæ est vna specificè, & non sumit distinctionem quasi specificam virtualem ab obiectis secundarijs, sed solummodo quasi extensionem eiusdemmet rationis, ac modi sapientiæ: & ita respectu diuerforum attributorum creatorum potius est virtualis distinctio, quasi partium integrantium infinitudine extensionem diuinæ sapientiæ, quam rationum quasi specificarum.

XV.

Ad tertium negandum est, sequi duo illa absurda. Vt vero constet non sequi primum, obseruandum est dupliciter posse haberi plures conceptus de eodem subiecto, vel ita vt per eos agnoscantur plures veritates, quam per pauciores, vel ita vt eadem: si primo modo se res habeat, arguitur maior perfectio virtutis intellectus ex parte eius, qui plures de eodem obiecto potest elicere conceptus: quoniam perfectius attingit, ac penetrat eius intelligibilitatem: si secundo modo nequaquam: quoniam eiusmodi pluralitas non provenit ex maiore lumine intellectuali, imò ex imbecillitate ipsius: ratione cuius non potest simul, & vnico actu, sed per partes capere id, quod perfectius lumen vnico intuitu comprehendit, qua ratione est inæqualitas in notitia naturali Angelorum: nam superiores, qui intelligunt per species magis vniuersales, vnico actu percipiunt omnia representata per vnicam speciem sibi proportionatam, quæ inferiores ob defectum luminis intellectualis non nisi per plures species, & actus percipiunt. Hoc posito, dicendum ex illa sententia, sequi intellectum minus perfectum habere plures conceptus de eodem obiecto non priore, sed posteriore modo: id vero non est absurdum, vt patet, quoniam non penetrantur plures veritates ab intellectu minus perfecto, sed eadem, imperfectiore tamen modo. Ad rationem, qua sequi ostenditur, respondeo limitationem intellectus non esse in causa, vt percipiat plures veritates obiectiuas, quam intellectus illimitatus: sed vt percipiat easdem, vel pauciores imperfectiore modo, hoc est non vnico actu comprehensiuo, ac distincto, sed pluribus inadæquatis, qui omnes adhuc distant infinito intervallo ab ignoscibilitate infinita Dei: & in hoc eodem sensu verum est, intellectum, quo fuerit magis imperfectus, ac limitatus, indigere pluribus conceptionibus, vt saltem particulatim attingat id, quod perfectior intellectus simul apprehendit, vt bene explicat Caietan. 1. p. quæst. 13. art. 7. ex quo non sequitur

rusticum percipere plures veritates de Deo, quam sapientem, nec hunc quam Angelum, nec Angelum inferiorem, quam superiorem. Ad probationem secundi absurdi respondetur, si cum limitatione intellectus, vel potentiæ agnoscentis, nihil aliud concurret, manere inæqualitatem cognitionum intra eandem speciem: vt patet exemplis in argumento adductis: si tamen interueniat alia causa determinans ad actum specie distinctum, non esse varietatem penes solam intensionem, vel remissionem claritatis actuum, vt patet in notitijs Angelorum: nam notitia, qua superior comprehendit vnū aliquod genus, & omnes eius species, distinguitur specie à pluribus notitijs, quibus Angelus inferior easdē species singulatim percipit, quia scilicet variatur medium, hoc est species, vt ratio formalis obiecti. In nobis vero ita se habet, quoniam ad cognoscendas perfectiones diuinas, vtimur pluribus medijs, hoc est diuersis perfectionibus creatis, nec in diuina ferimur immediatē sub vna ratione motiua, vt feruntur beati, sed sub diuersis, & ideo sicut diuersæ notitiæ rerum, seu perfectionum creaturarum distinguuntur specie, ita etiam cum ex earum analogia diuinas intelligimus, habemus plures actus specie distinctos.

Distinctio fundamentalis attributorum diuinorum non sumitur ab extrinseco, sed à plenitudine perfectionis diuinæ.

CAPVT X.

Circa distinctionē fundamentalem est cōtroversia inter Theologos, conueniātne Deo non præintellecto ordine ad creaturas. Negat Durand. in 1. d. 2. q. 3. à num. 15. Argent. d. 6. q. 1. art. 3. ad primum Alexand. Godofred. quodlib. 7. q. 1. apud Aureol. in 1. d. 8. quæst. 3. art. 1. adiuncto penultimo argumēto, initio quæstionis allato pro ipsius opinione. In eandem videbuntur inclinasse Doctores citati cap. 8. num. 4. quatenus explicantes distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum, recurrunt ad eminentiam essentiæ diuinæ, ratione cuius æquipollet pluribus rebus distinctis actu ex natura rei: & quatenus diuersimode illis respondet, dicitur distingui virtute. Ex quo sumitur primum fundamentum huius opinionis. Distinctio virtualis ratione æquipollentiæ à re actuali esse, ac intelligi nequit, absq; ordine ad actuale: atque adeo quicunq; distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum

I.

Durand.
Argent.
Godofred.

virtualem appellant, eo ipso censent non dari absque ordine ad actualem. Secundo si nulla creatura esset possibilis, non daretur vlla distinctio fundamentalis in Deo: ergo ea sumenda est in habitudine ad res creatas actu distinctas. Patet consequentia, quoniam nihil dissoluitur sublato altero, nisi id pertineat intrinsece ad rationem eius formalem, aut sit causa, à qua essentialiter pendeat, aut proprietas necessariò consequens ad essentiam, aut denique extremum terminans habitudinem aliquam ipsius necessariam: creaturæ non pertinent intrinsece ad rationem formalem distinctionis fundamentalis perfectionum diuinarum, non sunt eius proprietates, vt per se patet: ergo vel causa, vel terminus habitudinis, quæ ad distinctionem præintelligitur. Antecedens ostenditur, quoniam opposita non sunt sibi ratio, aut causa essendi, in essentia diuina præciso ordine ad creaturas non est nisi summa vnitas, & identitas actualis opposita omni prorsus distinctioni, ac pluralitati: ergo ex ipsa sumi nequit distinctio fundamentalis. Tertio nihil habens rationem imperfectionis tribui potest Deo, nisi per ordinem ad creaturas: omnis distinctio est imperfectio, quare non tribuenda est Deo absque ordine ad creaturas. Maiorem explicat Durand. quoniam imitabilitas præciso ab vna creatura habet admixtum aliquid limitationis, & imperfectionis, & ita singulæ idæ hoc modo limitatæ sunt imperfectæ in genere exemplaris: quia tamen hæc limitatio non est in ipsa diuina essentia secundum se, sed in ordine ad creaturas, quæ illam secundum mensuram imitantur, non est absurdum eam admittere. Assumptio vero patet: quoniam omnis distinctio inducit finitudinem, ac limitationem in genere perfectionis simpliciter: impossibile quippe est, vt sint plura simpliciter infinita quo ad essentiam: quare plura per quamuis distinctionem resultantia necessariò erunt finita in genere entis: si enim distinctio sit mutua, qualis est inter plerasque perfectiones Dei absolutas, singulæ debent excludere alias à propria ratione formali intrinseca: & ita continebuntur terminis propriæ essentiæ: verbi gratia, sapientia non includet rationem formalem iustitiæ, misericordiæ, & cæterarum, & ita non erit ens simpliciter infinitum.

II.

Torres.

Torres 1. p. quæst. 28. art. 2. disput. 2. dub. & aliqui recentiores existimant, licet non forent creaturæ vllæ possibiles, adhuc futuram esse distinctionem fundamentalem inter attributa, maximè inter in-

tellectum, & voluntatem, propter ordinem, quem habent ad processiones diuinas. Id vero probatur, quoniam cognita distinctione actuali processuum, ac relationum diuinarum innotescet distinctio inter intellectionem, volitionemque diuinam: ergo licet non sint vllæ omnino creaturæ, aut ordo ad ipsas, erit distinctio fundamentalis, inter sapientiam, & amorem Dei. Antecedens patet, quoniam absque comparatione vlla ad creaturas in essentia diuina, quatenus est intellectio, aut amor, est fundamentum eius veritatis, qua verbum diuinum dicitur procedere per intellectionem, non per amorem: è contra vero Spiritus diuinus per amorem, nõ per intellectionem: omnis autem affirmatio aut negatio nititur aliqua distinctione: quapropter si absque ordine ad creaturas possunt enunciari termini contradictorij de volitione, & intellectione diuina, absque eodem præintelligi debet in ipsis distinctio fundamentalis.

III.

In hac controuerfia vnum est certum, alterum versatur in dubio: certum est essentiam diuinam ratione suæ infinitatis ex se primo radicaliter vendicare fundamentum distinctionis secundum rationem ratiocinatam. dubium vero est, an distinctio fundamentalis sumatur complete ab infinitudine diuina absque ordine ad obiecta extrinseca, ita vt eo sublato dissoluatur ratio distinctionis: hæc vero dissolutio ex duplici radice nasci potest, vel quia sublato ordine ad creaturas tolluntur ipsæ perfectiones diuinæ, & consequenter distinctio ipsarum, vel quia manente infinita perfectione Dei, non est ratio distinctionis fundamentalis absque vllò ordine. Prior sensus non pertinet ad institutum, non enim hic agitur de ordine ad creaturas ipsarum perfectionum diuinarum in se: posterior vero maximè: quæritur enim vtrum manente infinita perfectione essentiæ diuinæ, vt in se est, consistat distinctio fundamentalis absque vllò ordine ad plures creaturas actu distinctas. Vt vero distincte pateat, in quo sit præsens difficultas, notādū duo rerū genera concipi posse in ordine ad quas sumatur distinctio fundamentalis perfectionū diuinarum, nimirū personas, ac processiones ipsarum diuinæ, & creaturas. Harum vero quatuor genera cōsiderari possunt, scilicet cōceptiones actuales, obiecta ipsarum perfectionū, cōnotata, & participantia, quibus vnica, ac simplex diuina perfectio multipliciter æquipollet. Posita vero quæstio nõ intelligitur in ordine ad plures conceptus actuales: in hoc enim sensu tractata est.

cap. 9.

cap. 9. num. 3. Non item in ordine ad obiecta: nam, si singulæ rationes non possunt cognosci absque habitudine ad propria obiecta, non etiam agnoscitur poterit distinctio ipsarum, non considerata habitudine ad plura actu distincta: poterit autem, si singulæ sint intelligibiles absque habitudine ad propria obiecta: an vero hoc fieri possit, dicam alibi, & quoniam connotata ad extra vel sunt effectus, vel obiecta, ad eundem locum referuabitur explicatio ipsorum. Ad hunc vero locum solum spectat questio, an sit in Deo distinctio fundamentalis absque habitudine ad plura actu distincta, quibus diuina natura æquipolleat, siue quæ eminenter contineat. Porro eorum, quæ continentur eminenter, quædam sunt etiam formaliter in Deo, verbi gratia sapientia, iustitia, misericordia; quædam minime, vt sol, ignis, aer: & horum eadē est ratio, ac de connotatis, vel obiectis: nam sunt veluti obiecta idearū diuinarum, à quibus etiam connotantur. Restat ergo controuersia solum de attributis comparatis cum personis, aut processionibus diuinis, itemque cum perfectionibus naturalibus, quarum similes sunt in Deo formaliter, quæ non solum eminenter, sed æquiualeenter etiam continentur creatas.

IV.

Thom.

Alex. Aug.

Palat.

Capreol.

Thom.

Palat.

Dico primum, distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum conuenit per se primo essentia diuinæ, absque ordine ad creaturas. Traditur à D. Thoma in 1. d. 22. q. vii. art. 3. ad 3. ubi loquens de bonitate, sapientia, & alijs attributis diuinis, sic ait, *Et horum diuersitas non sumitur per ordinē ad creaturas, imò potius ē conuerso: quia ex hoc, quod ratio bonitatis, & sapientia differt in Deo, diuersificatur in creaturis bonitas, & sapientia, non tantum ratione, sed re.* accedit Bachon. in 1. d. 2. q. 2. art. 3. & 4. Alexand. Augustinian. apud Argent. loco citato. Hispanens. in 1. d. 8. q. 4. art. 3. Notabil. 4. & art. 4. ad argumenta ultimo loco posita contra 2. conclusionem. Capreol. q. 4. art. 2. ad argumenta ultimo loco inducta contra 2. conclusionem, qui pro se citat D. Thom. in alijs etiam locis, vnde nō est credendum id, quod ait Palat. in 1. d. 2. disput. 2. nempe D. Thom. 1. p. q. 13. art. 4. mutasse sententiam, hoc enim non latuisset. Capr. Caiet. & alios Thomistas, nec illo ar. 4. asstruitur à S. Thom. Aliquid, vnde id colligatur: solū enim ait, nomina diuina nō esse synonyma, quia id, quod est vnum, ac simplex re ipsa, significant sub multis rationibus, hoc est conceptionibus mentalibus: Hoc vero nihil facit ad presentem questionem: nā siue distinctio fundamentalis sumatur à creaturis actu distinctis,

siue non, adhuc verum est nomina diuina nō esse synonyma, quia significant obiectū vnū simplex sub multis rationibus. solum ob stare videbitur id, quod ait in solutione ad 4. nempe Deum idē esse vnum, & plura secundum rationem, quia intellectus noster ita multipliciter apprehendit eum, sicut res multipliciter ipsum representant: ex quo sequitur sublata multiplici representatione rerum, & nostro intelligendi modo imperfecto, non fore Deum multiplicem secundum rationem: atque adeo distinctionē virtualem ipsius sumi per ordinē ad plura actu re ipsa distincta. Verū nec ex hoc dicto colligitur D. Thom. se retractasse: quandoquidem, vt notat Caiet. eodē art. S. Thom. cum ibi agat de distinctione nominum, solum attendit ad multiplicitatem rationum formalium, hoc est conceptionum mentalium, nō vero rationum obiectiuarum: & ita ex eo dicto solum habetur, perfectionem diuinā nō esse actu multiplicem secundum rationes formales intentionales, nisi cognoscatur imperfecte secundum quod representatur à creaturis: cum quo tamen nō repugnat, vt secundum rationes obiectiuas sit virtualiter multiplex absque habitudine ad creaturas actu distinctas: nā vt ibidē obseruat Caiet. cum decisione eius art. stat vtraque pars contradictionis de distinctione formali, ex natura rei attributorum diuinorum: & si vera esset sententia Scoti affirmans, sanē distinctio attributorum, non penderet à distinctione rerū creaturarum. ergo si doctrina illius art. non repugnat illi sententiæ, non repugnabit etiam nostræ, quæ distinctionem fundamentalem negat sumi in ordine ad creaturas actu distinctas.

V.

Fundamentum huius assertionis est: quoniam ante illum ordinē ad creaturas, possunt enunciari de diuersis perfectionibus diuinis termini contradictorij. hoc autē fieri nequit, nisi ante eiusmodi ordinē sit distinctio fundamentalis: ergo ea præcedit ordinē ad creaturas. Assumptio patet, quoniam de eadem re nō possunt enunciari termini contradictorij, nulla interueniente distinctione: sola distinctio rationis actualis non facit est ad verificandos terminos contradictorios, quorum alter est realis, ac positivus, & quo ad cōuenientiam, independens ab actu intellectus: distinctio enim rationis nō mutat veritatē obiectiuam subiecti: ergo si ante omnē ordinē ad creaturas de perfectionibus diuinis enunciantur termini contradictorij, nō dependēs ex operatione intellectus quo ad significatū obiectiuū, necessestariō admittēda est distinctio fundamentalis absque

absque ordine ad creaturas. Maior propositio ostenditur, quoniam si per impossibile non essent creaturae, aut ordo ad ipsas, adhuc verum esset, Verbum diuinum procedere per intellectum, non per voluntatem: quod argumentum supra retuli pro sententia Torrensis. Idem vero constat etiam in alijs perfectionibus, quoniam etiam si per impossibile non esset vlla creatura capax bonitatis, & scientiae practicae, adhuc verum esset dicere, ars diuina est ratio faciendorum, bonitas non est ratio faciendorum: etenim scientia diuina practica, sicut secundum se est prior creaturis, ita etiam est quoad distinctionem fundamentalem, quam vendicat quatenus ars est, neque ex eo, quod in nobis ars est ratio operandi, non autem bonitas, perfectiones diuinae ita se habent, imò vice versa: idcirco enim scientia practica creata continetur intra certos limites perfectionis secundum essentiam, quia inadæquate imitatur perfectionem diuinam, quatenus scientia practica est, non vero quatenus bonitas est: quemadmodum ergo prius est, essentiam diuinam esse inadæquate imitabilem secundum alias, atque alias rationes virtuales perfectionis suae infinitae, quam creaturas esse in se actu distinctas, etiam secundum esse possibile, quoniam semper esse causatiuum, est prius saltem natura, quam causabile, ita etiam prius est distinctio fundamentalis ipsius, in qua nititur diuersitas imitabilitatis passivae inadæquate, quam distinctio actualis rerum ideatarum.

VI.

Secundo multiplicitas, fundamentalis perfectionum diuinarum, est prior multiplicitate reali etiam possibili creaturarum: ergo non completur in ratione distinctionis supposito ordine ad pluralitatem actualem creaturarum. Patet consequentia, nihil enim pendet intrinsece quo ad suum esse, neque completur ab eo, quod est posterius. Antecedens ostenditur, quoniam pluralitas non potest oriri ab vno, in quantum vnum, sed quatenus est virtute multiplex: pluralitas creaturarum non est à se, sed à Deo, ergo ex parte eius præcedere debet multiplicitas fundamentalis, ratione cuius perducatur ad actum pluralitatem actualem creaturarum: si enim quæramus rationem cur sapientia ac iustitia creata sint perfectiones actu distinctae, respondebimus id provenire ex limitatione, ac termino essentiae, quo utraque circumscribitur: si vero posterius quæramus, cur ita circumscribatur, recurrere tandem debemus ad causam primam, quam perfectiones istae inadæquate imitantur, & ad eius actio-

nem, & potentiam qua fiunt: ergo saltem ex parte essentiae, ut diuersimode est imitabilis, distinctio fundamentalis præcedit actualem creaturarum. Denique distinctio fundamentalis dicit ordinem ad actualem intellectus, ut enim ostendi cap. 6. quamuis distinctio rationis perfectionum diuinarum sit subiectiue in intellectu, est nihilominus radicaliter, & fundamentaliter in obiecto: atqui totum fundamentum respondens distinctioni actuali intellectus, distinctis conceptibus percipientis vnā, eandemque perfectionem diuinam infinitam, est in ipsamet absque vllō ordine ad creaturas: ergo in ipsa quoque eodem modo erit distinctio fundamentalis. Assumptio probatur: nam fundamentum multiplicis rationis secundum esse intellectū, est intelligibilitas obiectiua cui respondent, & adæquantur diuersae conceptiones mentis: at vero omnis intelligibilitas obiectiua perfectionū diuinarum, fundatur in entitate ipsarum: hæc autem est prior omni multiplicitate creaturarum: ergo & fundamentum multipliciter actus actualis secundum rationem perfectionum diuinarum est in ipsis, & ab ipsis, absque ordine præuiō ad creaturas. Quemadmodum enim ex infinitate entitatis, ac perfectionis diuinæ provenit, ut sit inadæquate, & multipliciter imitabilis à creaturis, ita etiam ab infinitate intelligibilitatis ipsius obiectiuae oritur, ut ab intellectu nostro sit inadæquate, & multipliciter intelligibilis: & quemadmodum intelligibilitas nititur ipsa entitate, ita & multiplicitas intelligibilitatis nititur obiectiua multiplicitate fundamentalis eiusdem perfectionis infinitæ.

Dico secundum. Nulla distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum sumitur per ordinem ad processiones diuinas. Sensus est, ipsum velle, & intelligere diuinum, siue sapientiam, & amorem, & quasuis alias perfectiones absolutas, prius nostro modo intelligēdi habere distinctionem fundamentalem, quā intro ducitur ordo ipsarum ad processiones vel personarum procedentes. Fundamentum est, quoniam omnis ratio diuina absoluta, & omnis proprietas illam consequens, est prior, & independens à rationibus notionalibus: distinctio autem fundamentalis, est quædam proprietas perfectionum diuinarum fundata in plenitudine ipsius esse diuini: ergo est suapte natura prior possessionibus, & quasuis alia ratione notionali: & consequenter non sumitur per ordinem ad illas: Secundo, si reddenda sit ratio, cur Verbum diuinum sit filius, non autem Spiritus sanctus,

VII.

recurr-

recurrendum est ad modum procedendi per intellectum, & voluntatem: ergo distinctio fundamentalis intellectus, & voluntatis, & operationum vtriusque, non sumitur in ordine ad distinctionem actualem perfectionum, & personarum diuinarum. Antecedens ostenditur in materia de Trinitate: consequentiam probo, quoniam si ante processionem Verbi, & Spiritus sancti, & eorum distinctionem actualem, non est distinctio fundamentalis intellectus, & voluntatis, sapientiae, & amoris, non potest reddi tanquam ratio discriminis inter modum processionis vtriusque, quod filius procedat per intellectum, Spiritus sanctus per voluntatem: nam si intellectus, & voluntas distinguuntur per ordinem ad processiones, ante illas nondum intellectus est fundamentaliter distinctus à voluntate: ergo non potest verificari Verbum procedere per intellectum, & non per voluntatem: ad veritatem enim huius necessarium supponitur aliqua distinctio intellectus à voluntate: non est actualis, ut patet ex dictis: ergo fundamentalis. Denique omnis ratio formalis dissoluitur sublato per impossibile ordine sibi intrinseco: contra vero, si manet, etiam si illud ex suppositione impossibili tollatur, non necessarium illud includit: at sublatis per impossibile personis diuinis, vel saltem cogitatione praecisus, adhuc intellectus, & voluntas diuina, sapientia, & amor distinguuntur fundamentaliter: ergo illorum fundamentalis, distinctio non sumitur per ordinem ad processiones, vel personas diuinas. Assumptio constat: nam si fingantur impossibiles processiones manente Deitate, adhuc Deus esset formaliter sapiens sapientia, non amore, adhuc intelligeret intellectu, non voluntate: & quod ad omnia, quae secundum esse actuale, vel intelligibile in nobis praestant perfectiones hae re ipsa distinctae, nihil in Deo deficeret, quod tamen alioquin posset sine imperfectionis nota competere: propria vero ratio distinctionis fundamentalis consistit in hoc, ut vnica, & indiuisa perfectio non minus actuet, & perficiat subiectum quo ad esse actuale, & intelligibile, quam alioquin actuarent plures perfectiones actu distinctae: ergo in hoc praestarent perfectiones diuinae, sublato etiam per impossibile ordine ad processiones, distinctio fundamentalis ipsarum adhuc maneret, etiam si fingeretur impossibilis pluralitas processionum, & perfectionum diuinarum.

VIII.

Vt respondeatur primo fundamento,

quod sumitur à ratione eminentiae, siue aequipollentiae, obseruandum est, in eminentia, vel aequipollentia vnus rei simplicis, continentis per modum vnus perfectiones plures in rebus alijs dispersas. considerari posse, tum ipsum respectum eminentiae, vel aequipollentiae, tum praecisum & immediatum fundamentum singulorum respectuum ad res distinctas, quibus aequipollet: si consideretur respectus, planum est necessarium inuolui ordinem ad plura actu distincta: impossibile est enim esse, vel concipi habitudinem vnus ad plura, quibus aequipollet, non dato, vel intellecto ordine ad ipsa plura: si vero consideretur fundamentum ipsius, non est opus, ut ordo ad plura praecedat, vel preintelligatur, nulla enim relatio praecedit suum fundamentum re ipsa, vel secundum intellectum. Hoc posito, negandum est antecedens primi fundamenti: nam distinctio fundamentalis non consistit in ipsa aequipollentia, aut ordine ad plura actu distincta, sed in fundamento ipsius, hoc est in perfectione entitativa subiecti, ratione cuius est aptum concipi multipliciter sub rationibus repertis in rebus alijs, actu ex natura rei distinctis. Ad secundum respondetur, si sublata possibilitate creaturarum supponatur, manere essentiam diuinam cum eadem plenitudine perfectionis, quam suapte natura habet, adhuc mansuram distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum: non minus enim facta illa hypothese, Deus esset intelligens per intellectum, & non per voluntatem, ac modo est: Et ita negandum est antecedens in hoc sensu, ad cuius probationem respondeo, summam vnitatem & identitatem ex natura rei actualem non opponi distinctioni, & pluralitati fundamentalis, imò esse fundamentum illius: non opponi, quoniam de facto vtraque reperitur in Deo: esse fundamentum eius, quoniam sublata vnitatem, iam non esset pluralitas fundamentalis, sed actualis. Et ut ait D. Thom. *S. Thom.* 1. p. q. 13. art. 4. ad 4. hoc ipsum pertinet ad perfectam Dei vnitatem, ut vnite contineat ea, quae sunt multipliciter in rebus creatis. Ad tertium, quod attinet ad institutum, concedi potest maior, etiam absque limitatione, quam adhibet Durand. nam proprie *Durand.* loquendo nunquam tribuendum est Deo aliquid, habens rationem imperfectionis nec in se ipso, nec in ordine ad creaturas: nec vlla imperfectio est, Deum sub ratione ideae vnus creaturae non esse ideam alterius, quoniam hoc non arguit vllam imperfectionem in ipso secundum esse actuale, secundum

quod

quod est idea, & exemplar rerum omnium. Neganda vero est assumptio, ad cuius probationem responderetur, solam finitudinem, ac limitationem actualem inuenire imperfectionem, fundamentalem veronequaquam: hæc enim non circumferibit actu perfectionem fundamentaliter distinctam, sed illam relinquit in tota sua amplitudine, & solum est fundamentum vt actu intellectus præcipientis sortiatur pluralitatem actualem, sub qua singulæ perfectiones non concipiuntur, vt infinitæ simpliciter in omni genere, sed solum sub propria ratione formali: & ita imperfectio non est in rationibus ipsis obiectiuis, sed in cognitione ipsa, quæ non adæquatur obiecto prout est in se. Argumentum pro sententia Torrens. solum concludit contra sententiam Durandi, perfectiones eas, de quibus loquitur, non esse distinctas fundamentaliter per respectum ad creaturas, quod verum est. Non tamen probat distinguere per ordinem ad emanationes diuinas quasi in ordine ad ipsas sumatur distinctio fundamentalis perfectionum absolutarum.

Distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum quo ad cognosci, minimè pendet à distinctione actuali creaturarum, quibus æquipolent.

CAPVT XI.

I. **D**ictum est de independentia quo ad esse distinctionis fundamentalis perfectionum diuinarum ab actuali creaturarum: nunc dicendum de independentia quo ad cognosci. Difficultas autem huius rei consistit in eo, quod perfectio diuina est re ipsa simplex, & omnino indiuisibilis: fieri autem non potest, vt quod in se vnum est, multipliciter agnoscat absque ordine ad multiplicitatem actualem.

II. Auctores, qui censent distinctionem ipsam fundamentalem non posse consistere absque ordine ad res alias actu distinctas, censent etiam non posse absque eo ipso ordine cognosci. Ita Durand. Godofred. Argentinas quæst. citata art. 3. & 4. & præterea Heruæus in i. d. 2. quæst. 2. §. *Quantum ad secundum*. & quæst. 3. & quodlibet. 3. q. 3. art. 2. 3. & 4. Dionysius Cisterciens. in i. d. 22. quæst. vn. art. 2. conclusione 6. Palatius d. 2. disput. 2. in fine. Et illi quidem congruenter loquuntur: nam res intelligi

nequit absque ijs, quæ pertinent intrinsecè ad eius rationem: ordo autem ad rationes alias actu distinctas pertinet intrinsecè ad distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum: ergo sine ipso cognosci minimè potest: sed omisso hoc fundamento, quod iam supra reieci, suadet eadem sententia. Primo, quoniam intellectus de se non est determinatus ad cognoscendum obiectum vna, vel pluribus notitijs: debet ergo determinari ab obiecto, vel ab alio medio: Deitas vt est obiectum intelligibile, solum determinat ad vnicam sui intellectiōem, quoniam est vna simplex veritas, vniiformiter se habens ad omnem intellectum: ergo, nisi interueniat aliud medium, vel ratio determinans, non poterit intellectus circa ipsam multiplices conceptiones effingere. Hoc vero medium si sit etiam vniiforme, solum determinabit ad vnum modum concipiendi: ergo deueniendum est ad plura alia obiecta cognita actu distincta, quæ possint esse ratio cognoscendi distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum per attributionem ad actualem creaturarum. Secundo mens nostra etiam in rebus creatis non potest actu distinguere rationes formales identificatas in eodem subiecto, nisi videat eas seorsim in distinctis: similiter ergo nisi videat in creaturis actu distinctas perfectiones similes diuinis, non poterit has mutuo discernere. Consequentia est euidens, quoniam diuina sunt magis abscondita ab oculis nostris, quam creata. Antecedens ostenditur, quoniam inter genus summum, & species infimas sunt multi gradus Metaphysici intermedij, qui nos latent: non nisi quia ignoramus diuersitatem ipsorum realem in diuersis subiectis, quod Durandus exponit ex ijs, quæ discernimus: nam si ex coloribus solum candorem cognoscere-mus, non possemus distinguere colorem à candore: item si nullum alium actum cognoscendi sciremus præter intellectiōem, non possemus constituere discrimen inter cognitionē & intellectiōem: idque per cætera discurrendo patet. Tertio, nihil secundum quid in aliquo genere cognoscitur absque ordine ad id, quod est simpliciter in eodem: distinctio fundamentalis, siue rationis est secundum quid, distinctio actualis est distinctio simpliciter: ergo distinctio fundamentalis, siue rationis perfectionum diuinarum agnoscitur nequit absque ordine, ad distinctiōem realem creatam vel incretam.

Hæc difficultas intelligi potest absolute, vel comparate: hoc est, aut respectu

cuiuscun-

Durand.
Godofred.
Argentinas.
Heruæus.
Cisterciens.
Palatius.

III.

cuiuscunque intellectus creati, & increati, aut respectu certi, ac determinati intellectus: & quidem si posteriore modo accipitur, certum est comparatione hominis viatoris Deum naturali modo cognoscentis, veram esse sententiam Durandi, saltem quo ad primam cognitionem, & distinctionem perfectionum diuinarum, nec ab illo, quæ viderim negatur: & traditur etiam ab Auerr. 12. Metaph. 1. 39. ad finem. Ratio est, quoniam diuina non immediate in se ipsis per proprias species, aut præsentiam obiectiuam agnoscimus, sed ex creaturis, & per species ipsarum: quemadmodum ergo Dei sapientiam, & bonitatem agnoscimus, ex ipsarum effectibus, vel ex sapientia, ac bonitate creata, tanquam ex eorum participatione, ita ipsarum distinctionem fundamentalem primo aucupamur ex distinctione actuali participantium, vel effectuum productorum. Nam si nesciremus bonitatem, ac sapientiam in creaturis esse res actu distinctas, aut ignoraremus ipsarum habitudinem ad diuersos effectus, & obiecta, non haberemus fundamentum distinguendi has perfectiones in Deo, quoniam omnis nostra cognitio de Deo in via habeatur a posteriore: Iuxta priorem sensum est difficultas, iuxta quem loquuntur Durand. Argent. & alij: expresse enim negant intellectum diuinum agnoscere distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum, absque ordine ad creaturas: ex quo plane sequitur idem dicendum de quouis alio intellectu. Nam Deus cognoscit omne intelligibile: quare si non agnoscat distinctionem suam fundamentalem absque ordine ad creaturas, nullo modo erit cognoscibilis absque illo, & consequenter à nullo alio intellectu agnosci poterit: Ego vero primum dicam absolute de cognoscibilitate in se, deinde ad singulos intellectus applicabo.

IV.

Dico primum: Distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum est cognoscibilis absque ordine ad res alias ex natura rei actu distinctas: sensus est, ad notitiam distinctionis huius fundamentalis, non prærequiri tanquam aliquid præuium, notitiam distinctionis actualis: dupliciter enim se habere potest vna notitia ad alteram, cui est necessarium coniuncta, vel tanquam aliquid consequens, vel tanquam aliquid antecedens. Hic non curo vtrum notitia distinctionis actualis sit coniuncta cum notitia distinctionis fundamentalis, tanquam aliquid ad ipsam consequens, sed contendo ad illam minimè prærequiri. Quæ sententia traditur ab Henrico in sum.

Gillij comment. Theol.

art. 51. quæstione 1. art. 68. quæstione 5. ad argumenta, & quodlibet. 5. quæst. 1. Francisco à Christo in 1. d. 2. quæst. 5. Soncin. d. 8. quæst. 4. conclusionem 7. Ioan. Bachon. Alexand. Capreol. & Hispani. cit. cap. præcedent. num. 4. & necessario elicitur ex doctrina Diui Thomæ tradita cap. præcedent. Nam sicut se res habet ad esse, ita ad cognosci, & à quibus res non dependet in essendo, neque in cognoscendo dependet: at distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum est in Deo ante omnem ordinem ad res alias actu distinctas, vt capite proximo dictum est: ergo etiam cognosci poterit absque eiusmodi ordine.

Frans. à Chr.
Soncin.
Bachon.
Capreol.
Hispani.
S. Thom.

Secundo idem probatur suppositis duobus principijs: alterum est, distinctio fundamentalis eius obiecti, quod non agnito ordine ad alia actu distincta, quibus æquipollet, agnosci potest pluribus notitijs inadæquatis, innotescet non percepto ordine eius ad distinctionem actualem. Alterum est essentia, diuina cognosci potest pluribus notitijs inadæquatis, non præcognito ordine vlllo ad alia actu distincta. Ex quibus euidenter colligitur distinctionem eius fundamentalem deprehendi posse, non præcognita habitudine ad aliquam actualem. Primum ostenditur, quoniam quicumque pluribus notitijs simplicibus non synonymis apprehendit idem obiectum, distinguit illud secundum esse intelligibile, & intellectum: nam quasi in plura partitur esse intelligibile obiectiuum, & constituit multiplex esse intellectum pro diuersitate notitiarum, & rationem apprehensam vnica notitia separat secundum esse intelligibile ab ijs, quas distinctis notitijs apprehendit: cum hac vero multiplici apprehensione necessario coniuncta est cognitio distinctionis fundamentalis obiecti: ergo si illa haberi potest non cognito ordine ad alia obiecta re ipsa distincta, absque cognitione eiusdem ordinis intelligi poterit distinctio fundamentalis. Assumptio probatur, quoniam qui habet plures conceptus non synonymos eiusdem obiecti, experimentaliter videt rationem, quam apprehendit per vnum, non esse eandem, quam apprehendit per aliud: ex vi enim notitiæ illius potest formare propositionem, qua enunciet vnā non esse aliam: cum itaque omnis veritas propositionis negatiuæ fundetur in aliqua distinctione, si ex vi plurium notitiarum apprehensuarum, elici potest propositio (saltem sub reduplicatione negans vnā de altera, illis notitijs agnoscitur distinctio

V.

Xxx

funda-

fundamentalis rationū obiectuarum: Respondebitur, nō posse cognosci distinctionē fundamentalem obiecti, nisi intellectus reflectatur supra suos actus, quo posito iam ipsi actus sunt obiecta cognita notitia reflexa: qua etiā percipitur habitudo obiecti ad actūalem distinctionem actuum. Sed enim responsio supponit falsum: namque ad coniungendos duos terminos, & vnum de altero affirmandum, vel negandum, sat est penetratio rationis obiectiū vtriūque sine reflexione supra ipsas notitias: ex eo enim, quod res est, vel non est, propositio est vera vel falsa, non autem ex eo, quod mens reflectitur supra suum actum: & ita, si cui innotesceret ratio misericordiæ, ac iustitiæ, prout abstrahunt ab humana, ac diuina, etsi non reflecteret supra suas apprehensiones, verè posset affirmare, ratio iustitiæ, non est ratio misericordiæ: quare ad cognoscendam distinctionem fundamentalem obiectiuam, non est necessaria reflexio supra actus multipliciter apprehendentes. Respondebitur adhuc in hoc casu cognosci quidem distinctionem fundamentalem materialiter, non vero formaliter, quia scilicet cognoscuntur ea, quæ virtute distinguuntur, non tamen cognoscuntur virtute distingui. Hæc responsio non est ad mentem auctorum oppositæ sententiæ. ipsi enim contendunt intellectum non posse agnoscere, aut distinguere vnam rationem formalem ab alia: qui vero ita illas penetrat, vt ex ipsarum notitijs componat enunciationem, & vnam saltem sub reduplicatione neget de altera, distinguit ipsas ab inuicem: vtrum vero in actu signato cognoscat distinctionem ipsam, parum interest, dummodo in actu exercito cognoscat vnam rationem non esse alteram: in hac enim negatione consistit fundamentum distinctionis, de quo Theologi loquuntur, non autem de relatione distincti ad distinctum. Itaque falsum est, quod dicitur, eiusmodi notitijs cognosci ea, quæ virtute distinguuntur, non cognosci autem virtute distingui: nam verè cognoscitur ea distingui fundamentaliter, siue simul agnoscatur relatio ipsa distinctionis, siue non.

VI.

Secundum principium ostenditur, quoniam essentia diuina ratione infinitæ intelligibilitatis, est agnoscibilis multiplici conceptu inadæquato, hanc autem intelligibilitatem non habet ab extrinseco, sed à se ipsa: ergo non interueniente cognitione alterius obiecti, aut ordinis ad ipsum, potest ea intelligibilitas reduci ad

actum. Patet consequentia: nam intelligibilitas perfecta fundata in ipsa perfectione entitatiua obiecti, reduci potest ad actum saltem quo ad apprehensionem, secluso quouis alio, quod non sit de ratione intelligibilitatis ipsius. Maior propositio probatur, quoniam omnipotentia vna, & simplex, est multipliciter operatiua: ergo etiam intelligibilitas quamuis sit vnica, erit etiam multipliciter determinatiua intellectus, & terminatiua intellectionum: si enim vnitas omnipotentia non impedit multiplicem influxum ipsius in effectus, etiam vnitas intelligibilitatis non impedit multiplicem causalitatem ipsius in determinando intellectum, ac terminando eius actus. Assumptio vero constat: nam intelligibilitas nititur entitate, & proinde res, quæ est à se metipso, à se quoque habet intelligibilitatem: essentia diuina est à se; ergo etiam habet intelligibilitatem à se. Respondebitur intelligibilitatem habere à se: non vero multipliciter ipsius: & ideo requiri habitudinem eius ad obiecta distincta actu, vt compleatur multiplicitas intelligibilitatis. Hæc responsio non satisfacit, etenim omnipotentia se ipsa continet multiplices effectus, neque ad eos producendos indiget multiplicitate extrinseca: ergo etiam intelligibilitas diuina infinita, se ipsa continet multiplices conceptiones, ad quas absque ope multiplicitatis extrinsece potest determinare intellectum. Et confirmatur, quoniam aut multiplicitas extrinseca creaturæ requiritur, tanquam manu ductio ad cognoscendam multiplicitatem fundamentalem Dei, aut quia est de per se ratione obiecti cognitionis, qua illa attingitur: si primum, potest à Deo suppleri, atque adeo secundum se non implicat contradictionem, vt multiplicitas, siue distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum intelligatur absque ordine ad obiecta distincta actu: secundum non est dandum: ergo potest essentia diuina multipliciter intelligi absque eiusmodi ordine. Posteriores assumptionis partem ostendo experientia: nam quamuis homines non possint primum intelligere rationes solum fundamentaliter distinctas, non cognita distinctione actuali, ex qua colligunt notitiam fundamentalis, nihilominus postea absque aduertentia ad eum ordinem, aut obiecta actu distincta percipiunt pluribus conceptibus rationes solum fundamentaliter distinctas: vt videre est in notitia diffinitiuā

nitua

nitua hominis per duos conceptus, alterum animalitatis, alterum rationalitatis: per eam namque tendit absolute intellectus in essentiam ipsius hominis, non respiciendo simul ad brutum, aut rem aliam extrinsecam: eodemque modo, licet ad percipiendam sapientiam, & iustitiam diuinam, tanquam perfectiones fundamentaliter distinctas indigeant viatores notitia sapientiae, ac iustitiae creatae, & distinctionis ipsarum, tamen posteaquam semel eam distinctionem agnouerunt, non opus est, ut quoties voluerint cogitare de iisdem perfectionibus diuinis, recurrant ad distinctionem actualem creatarum: ergo ordo ad res actu distinctas non est de per se ratione obiecti notitiae, qua attingitur distinctio fundamentalis: nam quod est de per se ratione obiecti alicuius notitiae, semper concurrere ad illam debet.

VII.

Dico secundum: Quilibet intellectus, siue creatus, siue increatus potest agnoscere distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum absque ordine ad res actu distinctas. Hæc deducitur ex prioribus: nam quidquid in se est cognoscibile absque ordine ad aliud, non repugnat ita cognosci à quouis intellectu, nisi ex parte ipsius intellectus detur particularis repugnantia: quo minus autem distinctio fundamentalis diuinorum attributorum agnosci queat, non assignatur alia repugnantia ex parte cuiusvis intellectus, quam necessitas cognoscendi ordinem ad actualem distinctionem, hæc autem nulla est, ut constat ex dictis: impossibilitas vero perueniendi ad notitiam distinctam rationum formalium, non percepta prius aliqua distinctione actuali, quæ assignatur in intellectu viatorum, solum se habet ex parte inuentionis per discursum naturalem, & tolli potest supplente Deo id, quod præstaret discursus naturalis: quare non repugnat, intellectum hominis agnoscere iustitiam, ac misericordiam Dei, & ipsarum distinctionem fundamentalem, non præcognita iustitia, & misericordia creatæ, & ipsarum distinctione actuali: nam quemadmodum Deus in prima creatione hominis de sententia D. Thomæ & communi, infudit Adamo scientiam naturalem, tum rerum creatarum, tum vero etiam Dei, ita potuit infundere solum scientiam Dei, qua eius attributa non minus agnosceret, quam nunc Theologi, & tamen ignoraret perfectiones creatas, & realem distinctionem ipsarum: quare perciperet distinctionem fundamentalem per-

fectionum diuinarum, non percepta habitudine ad distinctionem actualem creatarum: & sicut ea cognitio potuit hoc modo infundi homini, ita & Angelo. Denique si obiectum secundum se intelligibile est absque ordine ad alia actu distincta: eo modo intelligetur à Deo, qui percipit omne intelligibile: & quamuis simul agnoscat distinctionem actualem rerum creatarum, non tamen, priusquam intelligat fundamentalem suarum perfectionum.

VIII.

Ad primum respondeo, Deitatem ut est obiectum intelligibile, esse re ipsa simplicem, multiplicem autem fundamentaliter, quemadmodum omnipotentia diuina: & quemadmodum hæc coniuncta liberæ voluntati Dei determinatur ad vnum potius effectum, quam alium, ita diuinam intelligibilitatem posse determinari ad cauendos inadæquatos sui conceptus, accedentibus diuersis medijs præparatis à voluntate, & omnipotentia diuina: ex quo non sequitur, deueniendum ad plura obiecta actu distincta, quorum cognitio sit veluti medium ad cognoscendam distinctionem fundamentalem: nam possunt esse media cognoscendi non cognita instar specierum intelligibilium. Quin vero, ut alibi ostendam eadē essentia immediate vnita menti beatæ, pro varietate luminis gloriæ & concursu Dei libero, potest esse ratio visionū inadæquatarum, quarum singulæ percipiant aliquid fundamentaliter distinctum in Deo, non perceptum ab alijs. Secundum argumentum solum concludit id, quod superius dictū est: nempe homines viatores via inuentionis non posse distinguere actu ea, quæ sola virtute distinguuntur, nisi præcognita aliqua distinctione actuali, ex qua eliciant fundamentalem: ex hoc autem non sequitur, idem dicendum esse via accuratæ cognitionis, quatenus cognoscuntur gradus superiores cum absoluta præcisione ab omnibus, quæ non sunt intrinsecæ rationibus formalibus eorundem. Pro solutione tertij suppono, eorum quæ dicuntur secundum quid, quædam ita dici, vel esse per attributionem ad ea, quæ sunt simpliciter, ut accidens dicitur ens per attributionem ad substantiam, medicina dicitur sana per attributionem ad hominem sanum: quædam vero non ita dici, vel esse, sed quia imperfecte, & secundum partem participant eandem formam: quomodo Æthiops dicitur albus secundum quid, hoc est secundum dentes, aer exigua luce collustratus dicitur lucidus secundum quid. Hoc posito respondeo maiorem esse veram, si intelligatur de ijs, quæ sunt secundum quid

priore modo: fallam vero, si intelligatur de posteriore: *Aethiopes* enim verè ignoscerent se esse candidos secundum lentes, quamuis nullo modo scirent esse illos homines simpliciter candidos: item is, qui nunquam vidisset copiosam lucem, verè cognosceret exiguam, quam actu videret: at vero distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum non est, aut dicitur talis per attributionem ad actualem: ut enim iam supra dixi, licet non esset vlla res distincta ex natura rei, si tamen supponatur esse diuinitas infinite perfecta, ut modo est, adhuc perfectiones eius essent distinctæ fundamentaliter, & consequenter ut tales cognosci possent.

Distinctio fundamentalis obiectiua cognosci potest vnico simplici actu.

CAPVT XII.

I.

Distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum, quantum in se est, agnosci posse à quouis intellectu absque ordine ad plura actu distincta, constat ex capite superiore: superest ut dicam, ut cum cognosci possit vnico actu præsertim beatifico, ac diuino. Sententia negans suadetur. Primo quoniam omnis intellectus distinguens rationes formales obiecti, intelligit vnā non esse aliam: hoc autem est alienum à cognitione diuina, & beata: ergo neutra earum percipitur distinctio perfectionum diuinarum. Maior est manifesta: distinctio enim fundamentalis consistit in negatione vnius de altero, saltem sub reduplicatione: & ideo, qui distinctionem fundamentalem agnoscit, consequenter intelligit ex rationibus formalibus ita cognitis vnā non esse aliam. Assumptio probatur, quoniam notitia obiecti sicuti est, non potest illud cognoscere aliter ac in se ipso est: visio diuina, ac beata attingit Deum sicuti est: ipse autem in se ipso simplicissimus est, & perfectiones omnes diuinæ sunt ex natura rei formaliter indistinctæ, ita ut vna sit alia: ergo cognitione diuina, vel beata non potest agnosci, vnā non esse aliam: Secundo aut Deus, & beati distinguunt perfectiones diuinas eadem visione, qua diuinam essentiam simpliciter vident in se ipsa, aut diuersa; non eadem: nam, cum per eam apprehendatur simpliciter, ut in se est, non distinguitur in plura. Non est alia, omnes enim visiones clarescunt eiusdem rationis. Et confirmatur, quoniam res actu indiuisa, & indistincta, non potest per se primo apprehendi, ut

distincta per actum rectum, immediate tendentem in obiectum prout est in se: visio autem terminata ad essentiam Dei est recta: ergo non poterit apprehendere distinctionem perfectionum diuinarum. Maior propositio patet: nam omnis distinctio rationis consistit in comparatione aliquarationum facta per intellectum: notitia autem recta obiecti realis, prout est in se, non est comparatiua: quoniam non intelligitur terminata ad plura, quæ possint esse extrema comparationis: atque adeo per ipsam distinguere nequeunt, quæ sunt re ipsa diuersa. Assumptio verò ostenditur: quoniam in omni comparatione reflexa primum obiectum est actus, vel intellectus ipsius intelligentis: at visio beata creata habet pro obiecto immediato ipsam essentiam diuinam in se, non vero ipsam, aut intellectum beati: in Deo vero ratione identitatis cum essentia, ipsamet visio, & intellectus, est obiectum actus beatifici, qui tamen, quia immediate fertur in essentiam, verè est actus rectus: & multo clarius id habet visio creata.

Tertio in particulari idem ostenditur de ipsa notitia diuina. Nam hæc non minus est vna, & simplex in genere notitiæ, quam sit essentia in genere rei, & obiecti intelligibilis: essentia vero non est actu ex natura rei distincta: ergo neque notitia diuina cognoscit actu perfectiones diuinas virtute distinguere. Patet consequentia: nam sicut rei simplicissimæ repugnat actuali distinctioni ex natura rei, ita notitiæ simplicissimæ repugnat actualis distinctio in genere cognitionis: hæc autem consistit præcipue in distinguendo obiectum cognitum, quod sane distinguitur, si actu cognoscitur eius distinctio virtualis. Quarto suadetur in particulari de visione beata creaturæ, quoniam sublata causa distinctionis, tollitur ipsa quoque distinctio: in beatis vero Deum videntibus sublata est causa distinctionis diuinorum attributorum: ergo nequaquam ea distinguunt per visionem beatam. Assumptio probatur, quoniam causa, quam D. Thom. 1. p. q. 13. art. 4. & alij as-
signant, cur in via perfectiones diuinæ à nobis distinguantur, est imperfectio intellectus, ac medij, quoniam Deum per creaturas agnoscimus, nec habemus vnicum medium representans perfecte vnicam illam rationem Dei, quod licet haberemus, tamen ob imbecillitatem luminis intellectualis, non possemus simul capere tot perfectionum notitiam: at in patria est vnum medium simplex, & adæquatum, hoc est essentia diuina, est lumen proportionatum
ad vi-

II.

s. Thom.

ad videndum Deum sicuti est: ex quibus emanat visio perfecte, & vnite illum attingens: ergo non cognoscitur essentia per modum plurium, sed per modum vnius: atque adeo non cognoscitur eius distinctio virtualis: nam quando aliquid cognoscitur, vt distinctum necessario cognoscitur per modum plurium.

III. Pro hac sententia refertur Capreol. in r. d. 8. q. 4. art. 3. in fine in solutione cuiusdam argumenti, vbi loquitur solum de intellectu diuino, ac beato. Eam vero extendunt recentiores ad omnem intellectum videntem rem sicuti est: ita vt nullus intellectus re simplicem intuitiue videns sicuti est, possit eam distinguere. Quæ sententia quo ad attributa, confirmatur auctoritate D. Bernardi lib. 5. de consideratione ad Eugenium, aliquantum ante finem, vbi, cum dixisset Deum esse latitudinem, longitudinem, sublimitatem & profunditatem, & sibi obieisset ex eo sequi quaternitatem, respondet his verbis: *Visus sum protulisse plura, sed vnum est, vnus Deus signatus est pro captu nostro, non pro suo: diuisus est hic, non illic: voces diuersæ, semitæ multæ: sed vnum per eas significatur, vnus queritur.* Si hic, non illic diuisus est, non habet in mente diuina eam distinctionem, quam habet in nostra: non habet autem in nobis aliam distinctionem, quæ secundum esse cognitum, quo distinguitur ipsius esse virtuale multiplex: ergo hanc non habet in mente diuina: atque adeo Deus non distinguit suas perfectiones. & paulo post subdit: *Nobis autem, quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum: facit hoc speculum, & ænigma, per quod solum videre datur: cum autem videbimus faciem ad faciem, videbimus sicuti est.* Nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens aliquatenus resiliat, desiliet in suam pluralitatem: colliget se magis, adunabit, conformabitque vnitati illius, vel potius vnitati illi, vt vna vni facies respondeat faciei. Si pluralitatem hic facit speculum, si in patria nequaquam in istam resiliat, si vna facies videntis respondebit vni faciei Dei visi, eadē erit in visione vnitatis, & identitatis in genere intellectus, quæ in diuina essentia est in genere rei: & cessabit distinctio viæ in simplicem identitatem traducta: neque beatus, quantumvis conetur, poterit in pluralitatem resiliare distinguendo perfectiones, quas in via distinguebat, vt aperte sumitur ex illis verbis, *Nec quantumlibet vehementer intendens aliquatenus resiliat, desiliet in suam pluralitatem.* Sentit ergo D. Bernardus mentem beatam, etiam summo conatu adhibi-

to, non posse deuenire in pluralitatem cognitionis habitæ in via.

Decisio huius quæstionis pendet ex declaratione ambigui vocabuli: distinguere enim attributa non vno modo dicitur: potest vero sumi dupliciter quantum attinet ad præsens institutum: nam distinguere dicitur in primis, qui rem suapte natura distinctam ratione distinguit, ita vt verè dicatur multiplex secundum esse intellectum, & consequenter ratione distincta: distinguere etiam dicitur is, qui distinctionem agnoscit, siue qui distincte agnoscit ea, inter quæ exercetur distinctio. De priore distinguendi modo dictum est cap. 9. nunc agam de posteriore. Cum vero hæc distinctio sit & fundamentalis in re ipsa, & actualis sub multiplici conceptione intellectus determinata ad diuersas rationes obiectiuas, de vtraque hoc loco agendum est. Posterior quidem agnoscitur, cum intelligitur obiectum re ipsa indiuisum terminare plures conceptus actu distinctos, prior vero intuendo obiectum suapte natura posse ab intellectu finitæ perspicacitatis apprehendi, inadæquate per plures conceptus: & quidem hoc modo distinguere Deum sua attributa, seu potius cognoscere distincta, siue actu secundum rationem, siue fundamentaliter secundum se, expresse asserunt

Heru. quodlib. 8. q. 1. Bachon. in r. d. 2. q. 1. *Hervæus.*
2. art. 4. §. 1. Richard. art. 1. quæst. 3. art. 4. *Bachon.*
Toletan. d. 8. q. vn. art. 4. ad 2. Scoti contra 3. conclusionem. Capreol. q. 4. art. 2. *Richardus.*
ad 9. Godofredi contra 2. conclusionem. *Toletan.*
Soncin. eadem q. ad 5. & 12. contra 4. conclusionem. *Capreol.*
Torres. 1. p. q. 28. art. 2. disput. 3. *Hispalensis.*
2. dubio 1. Molin. eodem art. disput. 3. *Soncin.*
conclusionem 4. & 5. neque vllus hoc negabit, *Torres.*
qui terminos intellexerit. Nam diuinus intellectus infinitæ perspicacitatis cum sit, intelligit habitudinem essentiae diuinæ, quatenus est obiectum intelligibile, vel intellectum respectu cuiusvis mentis creatæ: ergo cum ea modo sub ratione sapientiæ, modo sub ratione iustitiæ, aut cuiusvis alterius attributi obijciatur menti creatæ per plures conceptus, hoc ipsum cognoscit Deus, & consequenter intelligit multipliciter eius actualement secundum esse intellectum, quam sortitur, vel sortiri potest in intellectu creato: quod est agnoscere distinctionem attributorum fundamentalem, imò & actualement secundum rationem.

Difficultas consistit in alio modo cognoscendi distinctionem fundamentalem, is vero est quo ad esse obiectiuum perfectionum diuinarum: ita vt quemadmodum in-

IV.

V.

intellectus imperfectus pluribus conceptibus diſtincte attingit ex parte obiecti rationem iuſtitiae, ac ſapientiae, vt ex vi huius apprehenſionis formare queat iudicium comparatiuum vnus cum altera, eodem modo apprehendat intellectus perfectus vnica notitia, ex vi cuius illi innotefcat diſtinctio rationum obiectiuarum tãperſpicue, vt ſimul intelligat, vel ſaltem ex vi eius apprehenſionis perſpicere poſſit veritates complexas fundatas in virtuali diſtinctione illarum. Quomodo dici poteſt cognosci materialiter diſtinctio obiectiua, quia nõ cognoscitur formaliter ipſa diſtinctio in ſe: agnoſcuntur tamen ipſa diſtincta tali modo, vt ex vi eius notitiae formaliter agnoſci poſſit diſtinctio: nam etiam quando viator pluribus conceptibus apprehendit perfectiones diuinas, non percipit formaliter ipſam diſtinctionem, quã non niſi conceptu comparatiuo percipi poteſt, qualis nõ eſt ſimplex apprehenſio plurium rationum obiectiuarum eiſdem entis indiuiſi: & nihilominus dici poteſt percipere diſtinctionem attributorum: & quamuis forſan hic loquendi modus ſit improprius, tamen hic magna ex parte ſita eſt difficultas huius controuerſiae. Tum vero eadem diſtinctio formaliter agnoſci dicitur, cum intellectus iudicat rationes obiectiuas inter ſe diſtingui: id vero ſit in actu exercito, cum ſaltem ſub reduplicatione aſſeritur vnã non eſſe alteram: nam actualis negatio vnus de altera, eſt diuiſio mentalis terminata ad multiplicitatem obiectiuam terminorum.

VI.

Dico primum. Non repugnat, vnica ſimplici notitia intuitiua cognosci materialiter pluralitatem, & diſtinctionem perfectionum diuinarum: ea vero de facto cognoscitur à Deo, & beatis mentibus. Prior pars ſequitur ex poſteriore: ab actu enim ad potentiam eſt euidentis & infallibilis conſequentia: & ita Doctores, qui ſecundam partem tenent priorem eo ipſo docent, ſunt autem meo iudicio ſerè omnes paucis recentioribus exceptis. Ita Henric. in ſum. art. 51. quaſt. 1. art. 68. quaſt. 5. ad argumenta, & quodlibet. 5. quaſt. 1. & eum ſecutus Varro apud Aureolum in 1. d. 8. quaſt. 3. art. 1. & idem Aureol. art. 3. dum impugnatur ſecundam opinionem. Heruæus quodlibet. 3. quaſt. 3. art. 4. §. *His præmiſſis*. & quodlibet. 8. quaſt. 1. Godofredus apud Bachon. in 1. d. 2. quaſt. 1. art. 2. §. 1. in fine, & apud Scotum d. 8. quaſt. 3. aliàs 4. §. *iſta quaſtione*, Durand. d. 2. quaſt. 3. num. 20. Richard. art. 1. quaſt. 3. art. 4. Argentin. d. 6. quaſt. 1. art. 2. ad 2. & 5. &

Alexander Auguſtinianæ familiae apud eundem art. 3. Cypæus Thomiſtarum q. 10. in Porphyrium art. 1. ad 2. Scoti, Caiet. quaſt. 12. de ente, & eſſentia ad 3. Soncin. in 1. d. 8. quaſt. 4. ad 12. contra 4. conſolutionem. Torres 1. p. quaſt. 28. art. 2. d. 2. dub. 1. & 3. Molina eodem art. diſt. 3. conſolutione 5. Quin vero Capreol. qui ſolus pro oppoſita ſententia refertur, ea ipſa quaſtione, & art. in reſponſione ad 16. contra primam conſolutionem nobiſcum ſentit ſimul cum Paludano, quem refert: ex quo proponit quinque modos, quæ ſaliqua dicuntur ratione diſtingui: primus eſt, cum diſtinguuntur diuerſa entia rationis, vt genus, & ſpecies: ſecundum, quando vnus ens reale ſimpliciter diſtinguitur à ſe ipſo, quatenus pluribus conceptibus formalibus diſtinguitur ab intellectu. Qui duo modi non reperiuntur in viſione Dei ſicut eſt, quoniam nec rationes viſæ ſunt entia rationis, nec viſio eſt actu plures. Tertius modus eſt quãdo vna res vno conceptu intelligitur vt plures, ſive per comparationem ad diuerſa, vt centrum ad diuerſas lineas: ſive ad idem diuerſo modo, vt punctum ad circulum tanquam principium, ac finis ipſius: vel idem per comparationem ad ſe ipſum, vt dicendo, hoc eſt idẽ ſibi ipſi: quartus eſt cum intellectus iudicat vnum re eſſe plura ratione, quod non eſt ita intelligendum, quaſi antequam iudicet, ſint actu plura ratione, ſed quia videndo rem eſſe comparabilem ad plura, vel pluribus modis apprehenſibilem, & hoc ipſum iudicando facit eam plures ratione: quintus denique eſt, cum pluralitas rei ſive in actu, ſive in potentia quomodocunque illa ſit, apprehenditur actu ab aliquo intellectu, quin ſimul iudicet eſſe plures, aut pluribus conceptibus formalibus apprehendat: quia ad eſſe actualis pluralitatis rationis ſolum requiritur, vt actus ille rationis, qui rem ſimplicem facit plures ſecundum rationem, actu in ipſam terminetur. Hos tres modos agnoſcit Palud. & Capreol. in Deo: tertium quidẽ, & quartum per comparationem ad intellectum diuinum, qui omnẽ pluralitatem poſſibilem, & actualem comprehendit: poſt quã concludit Capreol. *Patet ergo, quod attributa diuina diſtinguuntur per comparationem ad intellectum diuinum, & creatum ſimul, item in ſolutione ad octauum Godofredi contra 2. conſolutionem, ſic ait, Diſtinctio rationis conſequens ſimplicem apprehenſionem, non ſemper conſequitur realem diſtinctionem mediõrum intelligendi, puta ſpecierum intelligibilium, aut conceptuum, aut actus intelligendi: itaque admittit diſtinctionem rationis conſequi conceptum,*

aut

Henric.

Varro.

Aureol.

Heruæus.

Godofred.

Durand.

Richard.

Argentin.

aut actum intelligendi simplicem, idque ostendit in actu diuino his verbis: *Intellectus diuinus distinguit secundum rationem ideas rerum creabilium, & respectus rationis factibilium ad diuinam essentiam, & entia prohibita, & negationes, & huiusmodi in quo est realis distinctio mediorum, aut actuum intelligendi.*

VII.

Prior assertionis pars suadetur: pluralitas virtualis, ac distinctio perfectionum diuinarum est obiectum intelligibile, ac verum: ergo non repugnat, ut agnoscat ab intellectu vnico actu. Consequentia est manifesta, quandoquidem sola pluralitas non est impedimento, quo minus vnica intellectione obiecta percipiantur: nam creaturæ plures sunt, & nihilominus vnica notitia Dei percipiuntur omnes, plura quoque obiecta repræsentata Angelo per speciem intelligibilem alicuius generis, de sententia Diui Thomæ vnica intellectione cognoscitur. Antecedens autem ostenditur: nam qui ait, perfectiones diuinas distinguere virtute, non dicit falsum, sed verum: ergo conformatur primæ veritati, quæ continet, & intelligit omne verum. Secundum non repugnat, ut notitia simplex quoad perceptionem obiecti æquipolleat, imò etiam longè superet multarum notitiarum aggregatum: ita ut quidquid in his existit secundum esse cognitum, sit etiam in illa, quamuis sit diuersitas penes modum cognoscendi: sed perfectiones diuinas agnoscimus, ac distinguimus pluribus notitijs creatis, ita ut ex vi ipsarum innotescat, ratione iustitiæ esse virtute distinctam à ratione sapientiæ, & hanc à ratione omnipotentis: ergo idem omnino cognoscetur vnica notitia æquipollente illis pluribus, vel eas superante. Respondebis, notitia illa vnica posse apprehendi, quidquid ex parte obiecti cogniti, non autem ex parte modi cognoscendi. At quando obiectum simplex pluribus negotijs apprehenditur distinctio, & pluralitas non se habet ex parte obiecti cogniti, quod est vnicum, & indistinctum, sed ex parte cognoscendi: & ita non sequitur dandas in vnica simplici cognitione. Quæ responsio non est sufficiens; nam licet distinctio formalis actualis non se habeat ex parte obiecti cogniti, habet tamen se distinctio virtualis, quæ est prior actuali: nec finis intellectus, aut est in ipso aliter, quàm secundum esse cognitum, quapropter si hæc agnoscitur ab intellectu pluribus conceptibus apprehendente obiectum, apprehendetur etiam ab vnica notitia æquipollente pluribus. Præterea, hæc distinctio fundamentalis sublata omni imperfectione ex parte mo-

di cognoscendi sufficienter agnoscitur, quando ex vi cognitionis potest fieri enunciatio negatiua, saltem sub reduplicatione vnus rationis de altera, vel cognitio ipsa æquipollet illi enunciationi: hoc verò non repugnat: ergo distinctio virtualis percipi potest ab intellectu vnico actu. Maior propositio ostenditur, quoniam negatio omnis vera nititur aliqua distinctione: atque adeo, qui ex vi notitiæ simplicis potest formare enunciationem negatiuam veram, opus est, ut notitia illa attingat virtualem distinctionem extremorum: quod multo verius est, si notitia simplex æquipolleat tali enunciationi. Assumptio ostenditur, quoniam vnica simplex notitia potest esse æquæ, vel magis clara, & penetratiua obiecti, quàm plures simul, & sicut ex duplici notitia, quarum altera terminatur ad animalitatem, altera ad rationalitatem, potest nosse intellectus cum reduplicatione dicere. Homo, quatenus animal, non est rationalis, & quatenus rationalis, non est animal, ita, qui haberet vnica notitiam simplicem distinctiuam hominis, id ipsum posset efficere: non minus enim intueretur fundamentum distinctionis secundum rationem, quàm ille alius. Hæc argumenta accommodari possunt ad notitiam diuinam, quoniam ipsa est maximè clara, atque euident, multo distinctius penetrans omnia, ac singula obiecta conceptionum creaturarum, quam ab his attingantur: idque suo modo conuenit notitiæ beatæ respectu perfectionum simpliciter, quæ sunt formaliter in Deo: ergo si duabus, aut pluribus notitijs creatis attingitur materialiter distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum, attingetur etiam à notitia beata creata, & increata.

VIII.

Dico secundum: Vnico conceptu agnosci potest formaliter distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum. Hæc est eorundem Doctorum, quos retuli pro prima assertionem. Probatur autem, quoniam non repugnat vnico actu attingi quauis veritatem cõplexam: distinguere autem virtute perfectiones diuinas, est veritas quædam cõplexa: ergo poterit percipi vnico actu: In particulari verò ostenditur de intellectu diuino: hic enim non minus clarè, ac distincte percipit suam sapientiam, iustitiam, & alias perfectiones, ac intelligant omnes creature pluribus, & distinctis conceptibus: & ex vi suæ cognitionis reuelat diuersas propositiones de suis attributis: verbi gratia, Dominus sapientia fundauit terram, misericors Dominus, & iustus, & similes, quæ in nobis supponunt, vel inuehunt cognitionem formalem distinctionis

virtualis attributorum : ergo ipse quoque eam habet. Et confirmatur, quoniam Deus cognoscit omne verum complexum : ergo, si creatura notitia complexa cognoscit formaliter distinctionem attributorum diuinorum, eandem Deus cognoscet vnico simplici actu : & quoadmodum noscimus Deitatem non generare, sed Deum, essentiam esse communem tribus personis, non vero processiones ad intra, ita etiam ille hoc cognoscit : hoc vero modo percipitur distinctio virtualis formaliter in actu exercito : ergo Deus illam percipit. At vero beati, cum iuxta communem sententiam Theologorum, quæ nunc vident in speculo, & ænigmate, in patria videant faciem ad faciem, has easdem veritates reuelatas visione ipsa beata percipiunt, non quidem componendo, aut diuidendo, sed vnico intuitu : itaque sicut nunc credunt Deum esse trinum in personis, non in essentia, vnum vero in essentia, non in personis, ita in patria videbant, ut ex vi visionis possint eandem veritatem reuelare nescientibus, quod fieri nullo modo posset, nisi distinctionem virtualem formaliter attingerent.

IX. Ad primum argumentum respondeo, dupliciter intelligi perfectionem vnam non esse aliam, aut simpliciter, & secundum esse proprium actuale, aut secundum quid, & cum reduplicatione, vel secundum esse intelligibile, & intellectum inadæquatum : si priore modo accipiat non requiritur, ut quæ distinguuntur, actu ab intellectu, ita concipiantur vnum non esse aliud : alioquin in omni intellectu distinguente actu ea, quæ sunt re ipsa indiuisa, esset falsitas : quandoquidem agnosceret rem, quæ secundum se vna est, esse plures ex natura rei : quod tamen abhorret à communi sensu Doctorum, qui negant plures conceptiones necessarias de perfectionibus diuinis esse falsas, aut vanas : & in hoc sensu neganda est maior propositio : quæ in posteriore vera est : semper enim intellectus, qui distinguit actu plura in se virtute distincta, intelligit vnum non esse aliud, saltem sub reduplicatione alicuius rationis formalis : in quo sensu falsa est assumptio. Nam licet Deus, ac beati videant perfectiones diuinas esse vnam simplicissimam entitatem in se, agnoscunt tamen quatenus est misericordia, non esse iustitiam, & quatenus est voluntas, esse principium producendi Spiritum sanctum, non vero quatenus est intellectus : & sic in cæteris. Ad huius im-

pugnationem neganda est consequentia : qui enim intelligit Deitatem, quatenus essentia est, non esse trinam, aut quatenus paternitas est, non esse comunicabilem, non intelligit rem aliter, ac in se est : & tamen eiusmodi intellectibus necessario percipitur distinctio virtualis, siue fundamentalis, quæ est inter essentiam, ac relationem : itaque Deus, ac beati cognoscunt obiectum beatificum, & vnum, atque indistinctum in se actualiter ex natura rei, & virtute, ac fundamentaliter distinctum. Ad secundum respondetur, Deum, ac beatos distinguere, hoc est agnoscere virtute distinctas perfectiones diuinas eademmet visione, qua ipsam in se vident : ea enim æquipollet pluribus notitijs creatis easdem multipliciter attingentibus : nec repugnat eadem visione percipi rem, ut vnam in se, & ut virtute distinctam, ut patet ex solutione primi. Ad confirmationem neganda est maior propositio : nam actus rectus solummodo opponitur actui reflexo, non vero reduplicatiuo : qui enim intelligit hominem, quatenus est rationalis, distinguere à bruto, habet quidem actum comparatum hominis cum bruto, ac reduplicatum rationis formalis, secundum quam ab illo distinguitur : quæ omnia constant sine intuitu reflexo intellectus in suum proprium actum : & non tollunt naturam actus recti. Eodem modo intellectus diuinus, aut beatus penetrando essentiam diuinam multo perfectiùs, quam nos pluribus notitijs, non solum intelligit Deum esse iustum, & sapientem, sed etiam reduplicatiue intelligit esse iustum secundum rationem iustitiæ, non secundum rationem sapientiæ, & sic de cæteris. Ad probationem eiusdem maioris dicendum est, non requiri ad omnem comparisonem, maximè eam, quæ fit cum reduplicatione, ut extrema comparisonis sint plura actu distincta ante comparisonem ipsam : sed sat est, ut sint virtute, & fundamentaliter distincta, & apta terminare plures conceptus non synonymos : hoc enim ipso possunt comparari, vel pluribus conceptibus, vel vno eminenter continente plures, qualis est visio diuina, ac beata. Aliter responderi poterit, maiorem esse veram, quando visio ita est reflecta, ut non sit saltem etià eminenter reflexa : quomodo se habet visio diuina, & beata, ut suis locis dicam : notitia vero eminenter reflexa non est opus, ut immediate terminetur ad notitiam aliam præcedentem.

X. Ad tertium neganda est consequentia : quoniam assumitur in conclusione terminus, qui non

qui non est in præmissis: & cum esset inferendum, ergo notitia diuina non est actu distincta secundum esse intellectum, quod est verum: inferitur ergo, non cognoscit actu perfectiones diuinas virtute distinguere, quod est falsum: est enim longè diuersum, notitia non attingere distinctionem virtualem obiecti actu indistincti, & ipsam non esse actu plures secundum esse intellectum: quoniam quamuis sit vna, & nō plures secundum esse intellectum, potest attingere distinctionem virtualem, quæ est in obiecto. Ad probationem consequentiæ respondetur, duobus modis intelligi, cum dicitur notitiā distinguere obiectū: Primò, vt idē sit ac percipere distinctionē eius virtuale, secundò ita, vt sit idem, ac cōstituere illud in multiplici esse formali intellectu: cum vero dicitur distinctionē actualem in genere cognitionis consistere in distinguendo obiectum cognitū, si intelligatur priore modo, est falsum: si verò posteriore, est verum: sed hæc distinctio non sequitur ex eo, quod obiectū cognoscatur actu distinctum, nisi simul addit multiplex esse intellectum. Ad quartum respondetur, imperfectionem medijs repræsentantis, & intellectus naturaliter intelligentis, esse causam cur viatores Dei perfectiones imperfecte attingant: cur verò ipsarum virtualem distinctionem agnoscant, non est ea sola causa, sed infinita perfectio essentiæ diuinæ, & intelligibilitas multiplex virtute distincta: quam perfectius penetrant beati, quam viatores, & idē perfectius, quam illi, intelligunt perfectiones diuinas, & distinctionem virtualem ipsarum: & quemadmodum hæc non pugnant cum omni moda identitate earundem, ita neque repugnat, vt mens illas videat, vt virtute plures, & vt maximè vnas secundum esse actuale.

Distinctio rationis formaliter sumpta, hoc est relatio ipsa distinctiōis, est ab æterno obiectiue in intellectu diuino.

CAPVT VLT.

I. **D**upliciter rationes aliquæ distinguuntur, nempe materialiter, & formaliter: materialiter per non identitatem, quatenus vna modo aliquo non est alia: formaliter, relatiōe ipsa distinctionis, qua mutuo referuntur, vt extrema distinctionis. huc vsq; dictū est de distinctione ma-

teriali, & eius cognitione; superest vt dicam etiam breuiter de formali, & ipsius cognitione. Et quidem inter eos, qui censent attributa diuina distingui ratione, constat habitudinem distincti ad distinctum, à qua perfectiones diuinæ denominantur, etsi obiectiue in mente apprehendente illas pluribus conceptionibus, & ab eadem cognosci. An vero sit, & cognoscatur ab intellectu diuino, dubium est. Quidam recentiores negatiue respondent, quorum sententia duplici assertione continetur. Prima est, per diuinam intellectiōem non constituitur illa distinctio, hoc est habitudo rationis distincti ad distinctum inter perfectiones diuinas. fundamentum huius est, quoniam ab intellectu diuino non fit vllum ens rationis, atque adeo neque distinctio, quatenus est respectus rationis. Antecedens probant, quoniam ens rationis, quod à nobis tribuitur rebus, non aliter conuenit ipsis, quam in apprehensione mentis: Deus autem simplici suo intuitu nihil addit rebus intellectis, sed solum illas apprehendit, sicut in se ipsis sunt: quare ex ipsius intellectiōe non redundat vllus respectus rationis in res apprehensas. Secunda assertio eorundem est: Deus non intelligit ipsum ens rationis, quod consequitur ex comparatione, & multiplici apprehensione intellectus nostri. Fundamentum est: quoniam si Deus illud intelligeret, consequenter etiam illud fabricaretur: hoc autem fieri nequit, vt constat ex prima assertione: ergo neque illud. Sequela maioris ostenditur: quoniam, ens rationis, quod intelligitur à Deo, habet esse obiectiuum in intellectu diuino, quin ad ipsum concurrat intellectus noster, sed diuinus: ex hoc autem sequitur ens rationis, quod est quoddam figmentum, & monstrum, formari ab intellectu diuino. Secundò, si Deus nunc cognoscit ens rationis ab intellectu nostro fabricatum, etiam cognouit ab æterno; Deus enim nihil cognoscit ex tempore: atque adeo Deus ab æterno habet aliquid actu effectum à suo intellectu, priusquam effingatur à creato: id non est aliquid reale: ergo rationis, formatum ab intellectu diuino non cooperante creato. Tertiò, nihil aliud est fieri ens rationis ab intellectu, quam obijci vel actu intelligi: ergo si Deus illud intelligit, actu effingit: si nō primario, & ratione sui, saltem occasionaliter ratione intellectus creati, res inter se mutuo comparantis.

Hæc controuersia difficultatem habet

II.

re po-

re potest, vel ex communi ratione entis rationis, quam solum præfati Autores attendere videntur, vel ex propria ratione distinctionis secundum rationem: nam cum hæc fundetur in pluralitate ipsius esse intellecti; fieri nequit, ut sit in intellectu diuino, qui vnica simplici intellectione omnia comprehendit: & quemadmodum secundum esse actuale est simplicissimus, & expers omnis distinctionis ex natura rei, ita quatenus est intellectio, excludit omnem pluralitatem secundum esse intellectum, quæ est fundamentum distinctionis rationis. Et confirmatur, quoniam distinctio rationis consistit in comparatione rationum formalium sub negatione vnius de altera: hæc autem comparatio dari nequit in intellectu diuino: ergo neque erit distinctio rationis. Assumptio patet, quoniam per huiusmodi comparationem rationes formales perfectionum diuinarum, non possunt constitui sub mutua negatione, illam non habent ex se, ergo comparari nequeunt à diuino intellectu sub ea negatione. Minor est euident, quoniam perfectiones diuinæ ante actum intellectus sunt idem prorsus, & indistinctæ ex natura rei. Maior verò probatur, quoniam ex comparatione intellectus diuini non potest resultare mutua negatio eorum, quæ sunt omnino idem ex natura rei, neque oriri distinctio, quæ non præexistat in obiecto increato, respectu cuius intellectus diuinus est tantum speculatiuus, ac proinde nequit apprehendere aliter, quam sit in re: est autem in re vna simplex perfectio, & ratio formalis indistincta: ergo non potest apprehendi à diuino intellectu, ut multiplex, aut sub vna negatione.

III.

Obseruandum est, quamuis ens rationis non habeat aliam existentiam, quam obiectiuam in intellectu, tamen eam, quam vendicat, quatenus est ens rationis, esse longe diuersam ab ea, qua potest quodammodo speculatiue concipi, ut quoduis aliud ens. Priorem habet, cum actu concipitur ab intellectu subiectum, ac fundamentum ipsius cum comparatione ad extremum habitudinis: verbi gratia, relatio speciei habet propriam existentiam obiectiuam, cum mens concipit naturam humanam ut communem pluribus individuis. Nam quemadmodum relationes reales in sua propria existentia, requirunt existentiam realem subiecti, & fundamenti, quibus innituntur, ita habitudo rationis

requirit existentiam obiectiuam subiecti, quod denominat, ac fundamenti, quod sequitur. Posterioré habet, cum absq; comparatione eorū, inter quæ respectus rationis exercetur, mens ipsum in se speculatiue considerat, ut quoduis aliud esse intelligibile: qua ratione, cum loquimur de secundis intentionibus, non concipientes actu naturam aliquam genericam, vel specificam, concipimus habitudinem generis, aut speciei: in hac enim cōceptione, cum non supponat in mente aliquam naturam abstractam à suis inferioribus, non existit per propriam suā existentiam obiectiuam relatio generis, aut speciei, ad quam requiritur existentia proprii subiecti, & fundamenti secundum esse intellectum, & mutua cōparatio extremorū: quæ hæc non interuenit. Quæ doctrina colligitur ex D. Thom. i. p. q. 15. ar. 2. in corpore, & ad 2. & 3. quo loco ait, respectus, quibus multiplicatur idee, causari ab intellectu diuino comparante essentiam suam ad res: consentit Caietan. ibidem circa responsionem ad secundum, & tertium, vbi docet respectus ideales non consequi actum intellectus diuini intelligentis ideas, sed fieri per actum eiusdē intelligentis essentiam suam cōparatiue. Ex quo patet respectus ideales nō proprie existere in eo conceptu, quo in se intelliguntur, sed in eo, quo essentia ad creaturas cōparatur. Eadem ferè doctrina habetur lib. 1. contra Gentes c. 54. vbi explicare volens D. Thom. quomodo essetia diuina sit idea, siue ratio singulorum, ait Deum intelligendo essentiam suam, ut imitabilem per modum vitæ, & non cognitionis, accipere propriam formam plantæ: & ad quem locum Ferrar. ait, ideo hoc à D. Thoma dictum, quia Deus non apprehendit essentiam suam tanquam propriam rationem alicuius rei formam, nisi in quantum ipsam cum tali respectu intelligit.

Ex dictis patet, non rectè philosophari eos, qui censent eo ipso, quo ens rationis utcumque percipitur ab intellectu, habere propriam existentiam obiectiuam sibi debitam: nam respectus ideales, ut ait Diuus Thomas loco primæ partis citato, sunt in diuino intellectu, nequaquam verò increato: & tamen negari non potest nos, cum de ideis loquimur, intelligere aliquomodo respectus ideales. In eoq; deficit ea opinio, quod asserit eandem esse repugnantiam rationem in vtroq; modo existentie obiectiue, respectu cuiuslibet intellectus: etenim cum simplex intuitus existentie obiectiue, quæ habet ens rationis in intellectu cōparante terminos habitudinis, nō exigit

actualem

S. Thom.

Caietan.

S. Thom.

Ferrar.

IV.

S. Thom.

actualem comparationem in ipso, qui intuetur, aut saltem in ipso actu intuedi, fieri poterit, ut quamuis alicui intellectui ratione suae perfectionis repugnet cognitio comparatiua terminorum, nihilominus non repugnet notitia simplex eiusdem comparationis, & respectus in eo fundati: quod planum est in notitia simplici Angeli, qua intelligit enunciationem mentalem nostram. videndo enim illam, cum sit quaedam comparatio praedicati ad subiectum, simul videt habitudinem vnius ad alterum: & nihilominus cum ipse non habeat notitiam comparatiuam, quae datur in comparatione, ac diuisione mentali hominum, in eius mente non habet propriam existentiam habitudinis rationis praedicati ad subiectum, & ita aliqui negantes quaedam entia rationis existere proprie in intellectu diuino, admittunt tamen intelligi à Deo: quod nequaquam verum esset, si notitia quasi speculatiua entis rationis non posset haberi, quin ipsum in propria existentia esset obiectiue in intellectu ita apprehendente.

V. Dico primum, non repugnat Deum intelligere ens rationis à nobis fabricatum, aut proprio suo intellectu efficere, quin vero vtrunque de facto illi competit. Hacasseritur à Diuo Thoma, Caietano, & Ferrariensi citatis. libet autem adijcere verba Diui Thomae. nam i. p. q. 15. ar. 2. ad 3. ita habet, *Respectus quibus multiplicatur idea, non causantur à rebus, sed ab intellectu diuino comparante essentiam suam ad res.* quibus verbis significat respectus ideales esse actu obiectiue in mente diuina, in notitia comparatiua essentiae ad res: & in solutione ad 4. sic ait: *Respectus multiplicantes ideas, non sunt in rebus creatis, sed in Deo.* in eo autem aliter esse nequeant, quam obiectiue, ut patet ex toto eo articulo. Et ne quis forte respondeat esse in illo fundamentaliter ratione perfectionis essentiae, quae secundum se est multipliciter imitabilis, subdit, *Non tamen sunt reales respectus, sicut illi, quibus distinguuntur personae, sed respectus intellecti à Deo.* quibus verbis planè conuincitur de sententia Diui Thomae, respectus rationis esse in mente diuina, & intelligi à Deo: eadem est sententia Henrici. in sum. artic. 68. quaest. 5. ad argumenta, quod lib. 5. quaest. 1. quem sequitur Gulielmus Varro apud Aureolum in i. dist. 8. quaest. 3. art. 1. Toletan. quaest. vn. art. 4. ad 1. Scoti contra conclusionem: probatio huius assertionis ex instituto pertinet ad materiam de scientia diuina, vbi Deo fauente de hac re fusius agendum est: nunc solum volui pra-

mittere fundamentum contrarium fundamento oppositae sententiae, & breuiter soluere argumenta.

In primis autem negandum est antecedens fundamenti primae assertionis contrariae sententiae. Ad cuius probationem distinguenda est assumptio: nam si sermo sit de notitia Dei absoluta, per eam nihil omnino censetur aduenire obiecto speculabili: si verò de comparatiua, falsa est assumptio: nam ex quauis mentali comparatione duorum resultat habitudo rationis inter ipsa, non minus in intellectu diuino, quam in creato. Ad fundamentum secundae, neganda est sequela maioris: non enim quicumque intellectus percipit habitudinem rationis in se, illi tribuit propriam existentiam eius obiectiua. Ad confirmationem respondeo, ens rationis à Deo praecise speculatiue cognitum, non habere propriam existentiam obiectiuam in mente diuina: sed communem sibi, & alijs entibus veris: ex quo non sequitur formari à mente diuina: quemadmodum cum Deus intelligit intuitiue lapidem, esse proprium lapidis non formatur, sed intelligitur à Deo. Quin verò, etsi Deus entia rationis formet, non proinde dici debet fingere monstra, aut figmenta: non enim entia rationis sunt monstra, aut entia ficta, ut colligitur ex doctrina D. Thomae in i. d. 2. p. 1. artic. 3. in prima eius parte, vbi statuit tres modos obiecti respondentis conceptioni mentali: primus est, cum res concepta existit extra animam, sicut cum intelligimus hominem, qui conceptus habet immediate fundamentum in re ipsa, quae ex sua conformitate ad intellectum facit, ut is concipiendo sit verus: secundus est, cum id, quod intellectus de nomine concipit, non est similitudo rei existētis extra animam, sed aliquid consequens modum intelligendi ipsam: cuiusmodi sunt secundae intentiones, quas intellectus adinuenit: sicut conceptus respondens nomini *genus*, non est similitudo rei existentis extra animam, sed intellectus concipiens animal, ut in pluribus speciebus attribuit ei intentionem generis: & hae intentiones habent fundamentum remotum in re, proximum intellectu: & intellectus, qui eiusmodi intentiones adinuenit, non est falsus. Tertius denique, cum id, quod nomine significatur, non habet in re fundamentum proximum, nec remotum, ut se habet conceptio chimeræ, & similitum entium fictorum: & huiusmodi conceptio est falsa. Ex quo discursu constat, notitiam comparatiuam rei veræ, in qua fundatur habitudo rationis, non esse monstrum, aut

figmen-

VI.

S. Thom.

figmentum: & proinde ex hoc capite non esse alienam à Deo. Vnde etiā patet diuersimode Deum cognoscere chimera, & alia entia ficta, ac intelligit entia rationis: nam priora intelligit solum, vt imaginabilia à creatura. Posteriora verò, vt entia habentia fundamentum aliquod in re, & existentiam obiectiuam in intellectu. Duo postrema argumenta eadem solutione dilui possunt: supponunt enim ens rationis quauis notitia ad ipsum terminata proprie effingi, atque existere: quod est falsum, vt constat ex dictis.

VII.

Dico secundum, Respectus ipse distinctionis secundum rationem, inter perfectiones diuinas fuit utroque modo obiectiue ab æterno in mente diuina. Assertio, quod attinet ad modum essendi secundum esse intellectū, est communis. Ita expressè Heruæus quodlibet. 1. q. 2. §. *Modo restat soluere*, ad secundum: Goffredus apud Scotum in 1. d. 8. q. 3. aliās 4. §. *In ista questione*, Toletan. q. vn. art. 4. ad primum Scoti contra 3. conclusionem. Argent. d. 6. q. 1. art. 2. ad 3. & 5. Clypeus Thomistar. q. 10. in Porphyrium art. 1. ad 2. Scoti, & alij citati cap. 12. num. 4. qui admittunt, Deum cognoscendo multiplices apprehensiones intellectus creati, percipere distinctionem rationis, quam secundum illas perfectiones eius sortiuntur: facile verò ostenditur: quoniam, vt constat ex priore assertione, non repugnat, Deum intelligere habitudines rationis fabricatas ab intellectu creato: ex eo verò, quod in particulari cognoscat habitudinem distinctionis suarum perfectionum, secundum rationes conceptas à nobis, non est vlla peculiaris repugnantia: non enim sequitur falsitas, vt patet: non compositio, aut diuisio, nō discursus: ex alia vero parte habitudines illę non minus sunt intelligibiles, nec minus aptę terminare simplicem mentis intuitum, quam alię: ergo si alię percipiuntur à Deo, hæ quoque percipi debent. Quoad aliam partem est maior difficultas, nam si habitudo distincti ad distinctum nō sequitur quamcunque cognitionem obiecti, sed potius modum cognoscēdi ipsum distinctis conceptionibus, fieri nequit, vt in mente diuina, in qua est vna simplex notitia, resultant multiplices respectu distinctionis inter attributa diuina: quemadmodum in ipsa non est habitudo prædicati & subiecti, quamuis Deus cognoscat eandem veritatem, quam nos intelligimus componendo, & diuidendo. Nihilominus cum ex omni comparatione necessario resultet aliqua habitudo, & Deus comparet perfe-

ctiones suas ad inuicem, tanquam intelligibiles à creatura rationali distinctis conceptionibus formalibus, hoc ipso resultare debet inter illas aliqua habitudo: non alia, quam distinctionis: nam quatenus eas comparat, vt diuersimode agnoscibiles à creatura, causat multiplicem habitudinem rationis obiectiue: hæc autem est relatio distinctionis secundum rationem vnius ab altera: non enim Deus aliter potest intelligere, Deitatem posse multipliciter agnosci ab intellectu creato, nisi distinguendo in ordine ad eundem rationes obiectiuas, sub quibus essentia est apta nata terminare diuersas cōceptiones creatas. Ratio est, quoniam Deus se ipsum vnico actu intelligit, respectu cuius essentia non habet multiplicem intelligibilitatem per conceptus actualiter distinctos, sicut habet respectu intellectus creati, quam multipliciter proprię intelligibilitatis in ordine ad intellectum creatum: Deus percipiens, & sub ea diuersimode comparans essentiam, causat respectus distinctionis inter perfectiones diuinas, qui in eius mente existunt proprię obiectiue, sicut alij.

Ad primum argumentum contra hanc conclusionem, respondetur habitudinem distinctionis secundum rationem nō fundari immediate in pluralitate actuali ipsius esse intellecti, siue conceptionum mentalium, sed in comparatione essentię ad multiplex esse intellectum potentia, vel actu: nam quando viator duabus conceptionibus simpliciter attingit duas rationes formales perfectionis diuinę, sine vlla comparatione, agnoscit quidem materialiter distinctionem fundamentalem, nō tamen datur actu in eius mente habitudo distinctionis inter illas: sed solum quando comparat ad inuicem: & ideo quamuis in mente diuina non sint plures conceptiones actuales, tamen est notitia comparatiua essentię in ordine ad plures conceptiones actuales, saltem possibiles: ex qua resultant actuales respectus distinctionis inter rationes obiectiuas perfectionis diuinę: & ideo nihil refert, vtrum ea comparatio fiat vnica, vel pluribus conceptionibus. Ad confirmationem neganda est assumptio: & ad eius probationem dicendum, per eam comparationem nō constitui simpliciter, & absolute perfectiones diuinas sub mutua negatione, quoniam intelliguntur actu, vt vnum simpliciter: constitui tamen sub ea secundum quid, & reduplicatiue: intelligit quippè Deus essentiam non determinare sub eadem ratione obiectiua diuersos conceptus, quos viatores formant de eius sapientia,

VIII.

Heruæus.
Goffred.

Toletan.
Argent.
Clypeus.

pietia, & iustitia. Ad probationem maioris respondeo, fundamentum negationis sub reduplicatione resultantis ex comparatione intellectus diuini præexistere in ipsa essentia diuina, quæ ante actum diuini intellectus est diuersimode comparabilis ad creatum sub variis rationibus intelligibilitatis inadaquate respectu diuersorum conceptuum formalium, in quibus habet multiplex esse intellectum, quæ comparatio fit per actum intellectus diuini, & ratione ipsius existunt in illo obiectiue infinitæ habitudines distinctionis inter rationes obiectiue essentia diuinæ.

IX. Obiicit aliquis hanc assertionem pugnare cum superius dictis: dictum est enim cap. 9. numero 3. perfectiones diuinas non distingui actu secundum esse intellectum mentis diuinæ, sed creatæ: nunc autem dico, in mente diuina dari vere plures habitudines distinctionis inter easdem: ex quo sequitur illas esse actu distinctas in intellectu diuino secundum esse intellectum: siquidem respectus distinctionis actu existens denominat actu extrema, quæ sub illo inuicem comparantur. Respondeo, distinctionem sumi posse fundamentaliter, ac formaliter, distinctio formaliter sumpta est ipsa relatio distincti ad distinctum: fundamentaliter verò est multiplicitas essendi, quæ supponitur in extremis huius relationis, semper enim distinctio fundamentalis actualis consistit in aliquo esse actuali multiplici: nempe in reali, si distinctio sit realis, in intellectu, si distinctio sit rationis, & quoniam in diuino intellectu non est multiplex esse actuale intellectum, sed simplex, quia est vnica indiuisibilis intellectio, idcirco in ipso perfectiones diuinæ non habent distinctionem rationis fundamentalem: habent autem in creato percipiente illas diuersas conceptionibus actualibus, ratione quarum dicitur habere actu multiplex esse intellectum. At verò distinctio formaliter sumpta exigit quidem ex parte subiecti ab ea denominandi multiplex esse saltem intellectum, non tamen oportet, vt id sit formaliter, & subiectiue in intellectu comparatiuo, in quo ipsa existit obiectiue, sed sit est, vt sit obiectiue, hoc est, vt concipiatur subiectum, quod ratione distinguitur, quatenus est terminatum plurium conceptuum formalium cuiuslibet intellectus: quod rectè docuit Richardus in 1. distinct. 2. articulo primo, quæst. tertia, articulo quarto, dum ait, pluralitatem rationis diuinorum at-

tributorum fuisse ab æterno in Deo, per comparisonem ad diuersas intellectiones creatas possibiles cognitæ à diuino intellectu. Nec hoc est nouum, aut inusitatum: nam fundamenta reliquarum habitudinum rationis non oportet, vt sint subiectiue in intellectu comparatiuo, in quo sunt ipsæ relationes: sed sufficit, vt sint obiectiue: etenim vnitas præcisionis, quàm Logici vniuersalitatis fundamentum constituunt, non est formaliter, & subiectiue in intellectu comparante naturam vniuersalem ad sua inferiora, quoniam vnitas non est actu formaliter, nisi in ipsa natura, quæ dicitur vna: natura verò vniuersalis secundum esse formale proprium non est in mente abstrahentium, sed solum secundum esse obiectiuum: quo etiam modo est vnitas ipsa in eo conceptu, quo natura percipitur abstracta à differentijs contrahentibus. Et quamuis in intellectu diuino non sit formaliter multiplex esse intellectum, est tamen obiectiue percipiente Deo multiplices conceptiones intellectus creati, ad quas comparata diuina perfectio sortitur denominationem multarum rationum: idcirco in mente diuina verè, ac propriè existunt obiectiue habitudines distinctionis rationis, à quibus perfectiones diuinæ denominantur formaliter distinctæ. Ex quo patet perfectiones Dei ab æterno habuisse distinctionem fundamentalem virtuales, itemque formalem actuales, non tamen fundamentalem actuales. Habuerunt fundamentalem virtuales, quoniam ex infinitate entitatis, & intelligibilitatis sunt aptæ terminare plures conceptus formales intellectus creati, non synonymos, habuerunt formalem actuales, quoniam ex actu intellectus diuini comparantis ipsas inter se, vt diuersimode perceptibiles pluribus conceptibus creatis, resultant relationes distinctionis. Denique non habuerunt fundamentalem actuales, quoniam ab æterno non fuit nisi vnica intellectio diuina simplex, multiplicitas autem intellectuum ad Deitatem terminatarum fuit in tempore, & ita ex tempore solum habuit multiplex esse intellectum actu.